CONJECTANEA

IN

Isa. IX. 1, II,

Item in

PARALLELA

Quædam

VETERIS

AC

Novi Testamenti,

In quibus

Versionis 70 Interpretum (quam calculo suo comprobarunt Evangelistæ & Apostoli) cum Textu Hebræo conciliationem meditatur Author

JOHAN. MILNERUS S.T.B.

Si septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est Editio permaneret: superflue, mi Chromati Episcoporum sanctissime atq; doctissime, impellerer ut Hebraica volumina Latino sermone transferrem. S. Hieron. Præfat. in Paralipom.

LONDINI

Typis Robert. White, MDCLXXIII.

Celeberrimo viro D. JACOBO DUPORTO

S. T. P.

Regiæ Majeſt. a Sacris,

Omni literarum genere ornatiſſimo,
Græcarum ſingulari ornamento,

In Sacris Homero, ſed & magis oculato,
Eccleſiæ Petriburg. Decano ſpectatiſſimo,
Colleg. Magdal. in celeberrima Academia
Cantabrig. Præfecto vigilantiſſimo,
Utrobiq; meritiſſimo;

Haſce

Studiorum ſuorum

Primitias

IN

Perpetui Honoris

ET

Obſervantiæ Teſtim.

D. D. C

J. M.

PRÆFATIO

INter alia, quæ animum Theologiæ ſtudio addictum ad Verſionem 70 Interpr. aſſiduè pervolvendam & accuratè excutiendam impellant, Plurimùm Reverendus (qui nunc eſt) Epiſcopus Ceſtren. in Præfatione verè aurea iſti Verſioni typis Cantabrig. impreſſæ præmiſſa Pag. 9 *hoc argumentum adducit,* Verſio 70 viralis (*inquit ille*) magni ſemper æſtimanda, & in promptu Theologis habenda, quò teſtimonia ab Apoſtolis reliquiſq; Novi Fœderis ſcriptoribus, ad probandum Jeſum eſſe Chriſtum, & veritatem Chriſtianæ Religionis illuſtrandam, ex Veteri Teſtamento deprompta confirmẽtur & ab omni exceptione liberentur: *Verſùs finem iſtius argumenti* Pag. 12 *hæc ſubnectit,* Scriptores Novi Teſtamenti Spiritu S. actos, cum ubiq; fere teſtimonia ex Veteri Fœdere ipſis 70 verbis depromant, non tam excuſandos eſſe ſentio, quod nimis dilutum eſt: Quin potius videndum annon textus Hebraicus eorum interpretationem ferre poſſit, quò & Veteris Teſtamenti ſenſus rectius intelligatur, & Novi authoritas magis confirmetur. *Idem Vir Maximus rectiſſimè cenſet* Pag. 1 *interpretationem iſtorum ſenum,* non in eo pretio apud pleroſq; eſſe quo

oportuit, ex opinione nimis pervulgata, 70 virum alem scilicet Versionem esse ab Hebraica veritate maxime alienam. *Et certe nemo non videt, quanti refert Christianæ Reipublicæ, ut Novi Fœderis autoritas magis confirmetur, ut perfecta Harmonia duorum Testamentorum omnium oculis clarius proponatur, ut* Judaizantes Hæretici (*si verbis ejusdem dignissimi Præsulis omni laude nostrâ majoris cum bonâ ipsius veniâ, quam summissè peto, adhuc uti liceat*) *non præferantur 70 Senioribus & Apostolis Apostolicisq; viris eorum sequacibus, ut deniq; opinio ista de maxima discrepantia Græcæ Versionis a textu Hebræo ex hominum animis evellatur. Forsan igitur hæc Conjectanea ad Interpretationis Græcæ (ab Evangelistis & Apostolis approbatæ) cum textu Originali conciliationem spectantia, Lectori, cui pietas Christiana verè cordi & curæ est, non erunt ingrata.*

Apr. 2.
1673.

J. M.

Conjectanea

Conjectanea in Isa. 9. 1, 2. & in Parallela quædam veteris ac novi Testamenti.

Isa. 9. 1, 2.
Juxta Ar. Montanum.

1. *Quia non obumbratus, ei qui coarctatus in ea secundum tempus primum alleviavit terram Zebulun, & terram Naphthali, & postremum aggravari fecit viam maris trans Jarden Ghelil Gentium.*
2. *Populus ambulantes in tenebrositate viderunt lucem magnam: habitantibus in terrâ umbræ mortis, lux splenduit super eos.*

Isa. 8. 22. 9. 1, 2.
Juxta 70.

8. 22. Et non deficiet, qui in anguſtia fuerit uſq; ad tempus.
9, 1. Hoc primum bibe, velociter fac; regio Zabulon, terra Nephthalim, & reliqui qui juxta mare, & trans Jordanem, Galilæa Gentium.
2. Populus qui ambulabat in tenebris videte lumen magnum: qui habitatis in regione, umbra mortis, lumen lucebit ſuper vos.

NON *obumbratus*] לא מועף Hebr. *i. e.* Non erit defectio, vel ut interpres Chaldæus & Arabs cum 70 Non deficiet, quo ſenſu & Bucerus Non erit oppreſſa. יעף, עוף & עיף inter alia ſignificant Deficere, & ſic מועף Defectio; nam fatentibus Hebræorum magiſtris pro Nomine accipi poteſt. In Bibl. Polygl. יחתאר Arab. vertitur Obſtupeſcet, ſed melius reddas Deficiet. Vir Clar. H. Grotius vult 70 ſcripſiſſe ἀποπλήσσει, non ἀπορηθήσεται: at nihil mutandum, nam ut מועף per ἀπορηθήσεται, ita in eodem commate juxta MS. Alexand. מעוף ab ipſis redditur ἀπορία.

Primum alleviavit] הראשון הקל Hebr. pro quo apud 70 legimus τὸ πρῶτον νῦν ταχὺ ποίησον. Sed illud νῦν in textum 70 irrepſiſſe viri docti rectiſſime judicant. Nam 1. Neq; in textu

Hebræo,

Hebræo, neq; apud Chaldæum, Syrum aut Vulg. hujus πίε ullum extat vestigium. 2. Postquam irrepsisset πίε, alii ulterius progressi expunxerunt ποίει, & bis legerunt πίε, ut in Editione quam secutus est S. Basilius; imo in Edit. Ald. & Complut. habes ταχὺ bis. 3. Expuncto hoc πίε Versio 70 cum textu Originali per omnia concordat. Nam τοῦτο respondere potest Præfixo ה in הראשון, ταχὺ ποίει verbo הקל, nam קלל sonat Velocem, celerem, agilem esse, & sic הקל Velociter facere, vel ut Versio Syriaca (item Arabica Antiochena & Alexandrina juxta Cornel. a Lapide) festinare, properare. אצנע הדא סריעא Exequar vel potius Exequere seu fac hoc quamprimum, ita Arabs in Bibl. Polygl.

Terram Zebulun] 70 Regio, nam ארץ vel ארצה Terra, regio, tribus. Sic & Latini dicunt Terra Italia, Terra Gallia, ubi Terra itidem pro Regione.

Et postremum aggravari fecit viam maris] Hebræa sic vertas, Et reliquum quod premit (והאחרון הכביד) viam maris, pro quo 70 οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν, Reliqui qui juxta mare. האחרון 70 vertunt οἱ λοιποὶ, nam sic באחרנה Deut. 13. 9 est idem quod λοιπὸν Deinceps, postea, & sic Chaldæus (ut Arabem taceam) hic exponit שארהון Reliquum eorum. כביד potest esse formæ אתומיך Psal. 16. 5, & sic הכביד Premens vel Quod premit. Aliter Drusius, *Judico eos legisse Hacchibjad Qui velut a latere*, i. e. *juxta*. *Manus pro latere notum est*, sic ille.

vi. Kimchiu in Ps. 16. 5

Viderunt] 70 ἴδετε, nam ראו sit modi Imperativi. Edit. Ald. habet ἴδε, Complut. εἶδε, ut S. Hieron. interpretans 70 Vidit.

Splenduit] 70. λάμψει, ut Tremel. Splendebit. Enallage temporis satis frequens apud Hebræos.

Super eos] 70 Super vos, pro עליהם forsan legentes עליכם.

Jer. 31. 15. Ar. Mont.	Mat. 2. 18. *Ar. Montanus.*
Vox in excelso audita est, querimonia, fletus amaritudinum, Rachel plorante super filios suos, — quia non ipse.	Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus, & ejulatus multus, Rachel plorans natos suos — quia non sunt.

In excelso] Ita S. Hieron. & alii, imo ita ipsi 70 juxta MS. Alexand.

Alexand. ἐν τῇ ὑλῇ, vid. Vulg. & Arab. Alii vocem רמה nomine proprio transtulerunt, *melius ni fallor quam qui appellativo*, inquit Grotius. Idem sentit Maldonat. & multis rationibus suadere satagit.

Querimonia, fletus amaritudinum] In Hebræo sunt tria Synonyma נהי, בכי, תמרורים *i. e.* ut Bucerus, Planctus, fletus, amaritudines, quibus respondent tria Græca θρῆνος, κλαυθμὸς, ὀδυρμὸς, planctus, fletus, amarus luctus. Legimus ὀδυρμὸς, κλαυθμὸς apud Hesychium; at hic vox ὀδυρμὸς superaddita voci κλαυθμὸς majorem vim habere videtur, & sic reddi potest Amarus gemitus vel luctus, λύπη βαθεῖα juxta Phavorinum.

Non ipse] 70 Non sunt, forsan pro אינני legentes אינמו. vel אינם, *i. e.* Non ipsi. Vel in Hebræo est Singulare pro Plurali sensu distributivo, Non ipse *i. e.* Nullus, ne unus quidem, non quisquam eorum supersit. S. Hieron. & omnes reliquæ Versiones in Bibl. Polygl. apud Jerem. legunt in Plurali non minus quam 70.

Deut. 6. 13. Ar. Mont.	Mat. 4. 10. *Ar. Mont.*
Dominum Deum tuum timebis, & ipsi servies.	Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

Timebis] S. Matthæus & 70 juxta MS. Alexand. προσκυνήσεις Adorabis, nam ירא Hebr. (ut דחל Chald.) non tantum significat Timere, sed etiam Colere, venerari, unde cultus idolorum dicitur יראה ut docet Elias in Tisbi. Juxta alios codices 70 scripsere φοβηθήσῃ.

Ipsi servies] 70 addunt μόνῳ Soli, quam vocem Hebræus *expressit per articulum* את, אתו *Illi ipsi*, ita Erasmus. *Neq; enim scriptum est* ותעבדו *quod fuisset* καὶ αὐτῷ λατρεύσεις, sed ואתו תעבד *quod plane emphasin continet*, sic Grotius. Evangelium Hebræum habet לבדו, quod an additum sit ex 1 Sam. 7. 3, an in quibusdam codicibus sic scriptum fuit Deut. 6. 13, non disputo.

Iſa. 42. 4. Ar. Mont.	Mat. 12. 21. *Ar. Mont.*
Ad legem ejus inſulæ expectabunt.	In nomine ejus gentes ſperabunt.

Ad legem ejus] 70 In nomine ejus, forſan pro לתורתו legentes לתורתו, adeo ut In nomine ejus, ſit idem quod In confeſſione nominis ejus. In confeſſione nominis ejus, *i. e.* ſi ipſum confiteantur, gentes ſpem firmam habebunt. Aliter Grotius, תורה *idem eſt quod* דרך *inſtitutum, hoc Helleniſtæ vocant* ὄνομα, quia moris eſt ſectatores ab inſtituti ſui authore nominari, ſic ille. Nonnulli ſuſpicantur pro ἐν τῷ ὀνόματι aliquando ſcriptum fuiſſe ἐν τῷ νόμῳ.

Inſulæ] 70 ἔθνη. An igitur pro איים legere גוים? an forſan ut αἶα & γαῖα apud Græcos, ſic אי & גוי, גויים & איים fuere Synonyma apud Hebræos? Notum eſt איים non ſemper Inſulas, ſed ſæpe Regiones quaſvis ſignificare ut *Gen.* 10. 5; item omnes tranſmarinas regiones a Judæis איים appellatas fuiſſe.

Expectabunt] 70 Sperabunt, & ſic יחל Hebr. fere ubiq; ſignificat.

Iſa. 6. 9, 10. Ar. Mont.	Mat. 13. 14, 15. *Ar. Mont.*
Audite audiendo, & ne intelligatis, & videte videndo, & ne cognoſcatis.	Auditu audietis, & non intelligetis; & intuentes intuebimini, & non videbitis.
10. *Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus obline, ne medeatur ei.*	15. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne ſanem eos.

Audite, videte] Licet exponere Audietis, videbitis, ut ſit Imperativus pro Futuro: ita David Kimchi apud Druſium. Interim in duobus Rob. Stephani exemplaribus pro ἀκούσετε, βλέψετε apud S. Matth. habes ἀκούσητε, βλέψητε Audiatis, videatis, &

apud

apud 70 juxta MS. Alexand. ἀκούσηλε, quæ lectio propius accedit ad Hebræa שמעו ראו.

Impingua, aggrava, obline] Hæc verba השמן הכבד, & השע *jam legimus in conjugatione Hiphil, quæ activam habet ſignificationem: at 70 legerunt ea in Hophal, quæ paſſivæ vocis vim habet*, ita Maldonat. Argumenta quibus vir doctus contra Maldonatum pugnat, nullius ſunt momenti. Quid enim ſi duo poſteriora verba apud 70 ſint Pluralia, cum tria verba Hebræa ſint ſingularia, & quid ſi interpres Chaldæus legit tres Imperativos ſingulares? An inde ſequetur 70 non legiſſe hæc verba in Conjugat. Hophal? Præſertim cum fatetur Maldonat. ipſos duo poſteriora verba per Periphraſin explicaſſe. Tantum addo, העם poteſt eſſe Nominativus omnium horum verborum, & tum ſi legas in Hophal ſic interpretari poſſis, Hic populus, corde (vel quoad cor) impinguatus eſt, auribus aggravatus, oculis clauſus: ſi in Hiphil, ſic, Populus hic pinguefecit cor, aggravavit aures, clauſit oculos. Et quid ſi dicamus S. Joannem c. 12. v. 40. Hebræa ſic tranſtuliſſe? Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺ ὀφθαλμὸς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, *i. e.* Hic populus excæcavit ipſorummet oculos, & obduravit ipſorummet cor. Αὐτὸς interdum ſignificat Ipſemet, ut notum. Huic conſtructioni favent Verſio Syriaca & Verſionis Arabicæ Editio Erpeniana, legentes locum iſtum ſic, Excæcarunt oculos ſuos, & obtenebrarunt vel obdurarunt corda ſua. Sed ut revertar ad Iſa. 6. 10. doct. Grotius Joſepho Kimchi & aliis Hebræorum magiſtris aſſentiens, tria verba prædicta ad Infinitivum refert, ita *ſcilicet ut ſubaudiatur particula* על vel מן, *quaſi dicas* διὰ τὸ παχῦναι τὴν καρδίαν τοῦ λαοῦ τούτου. Ipſum vide.

Medeatur ei] רפא Hebr. ut quibuſdam placet ſignificat tum active Sano, tum paſſive Sanor: Paſſive reddit S. Hieron. Sanetur, & ſic Verſio noſtra Sanentur, ſubintellige a me, quod idem eſt cum ἰάσομαι (vel ἰάσωμαι vid. Flamin. Nobil. & Act. 28. 26.) αὐτοὺ apud 70. Eodem ſenſu alii, Sanatio fiat, ſanitas reſtituatur, obveniat, obtingat, &c. Deniq; רפא, ſi aliis vocalibus legatur, eſt Participium, & verti poteſt Sim ſanans vel Sanem.

Isa. 29. 13. Ar. Mont.	Matth. 15. 8, 9. *Ar. Mont.*
Cor ejus elongavit se a me, & fuit timor eorum me, mandatum virorum edoctum.	Cor eorum longe abest a me. 9. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas mandata hominum.

Elongavit] רחק Hebr. pro varia prolatione sonat vel Elongavit ut Ar. Mont., vel πόρρω ἀπέχει ut 70 quibus favent omnes Versiones in Bibl. Polygl. & S. Hieron. Junius censet Græcum ἀπέχει commode posse exponi Transitive.

Fuit] יהי Hebr. pro quo 70 μάτην, unde suspicio statim subiit (quam postea viri docti confirmarunt) eos pro יהי legisse יהו. At cum יהי Chaldaice sit idem cum יהו (vid. Targ. Hieroso'. in Exod. 12. 42.) potius dicerem eos secutos esse significationem Chaldaicam vocis יהי.

Timor] De יראה dictum supra in Mat. 4. 10.

Mandatum virorum edoctum] S. Hieron. & Vulg. sic reddunt, Mandato hominum & doctrinis; 70 sic, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας; consentiunt Syrus & Arabs. Videntur hi omnes accepisse מלמדה pro Substantivo, & habuisse codicem in quo scriptum fuit ומלמדה.

Gen. 2. 24. Ar. Mont.	Matth. 19. 5. *Ar. Mont.*
Erunt in carnem unam.	Erunt duo in carnem unam.

Licet non in Pentateucho Hebræo, tamen in Samaritano (de quo vid. S. Hieron. in Gal. 3. 10.) invenitur vox Duo (משניהם) item in Jonathane, Syro, Vulg. & Evangelio Hebræo, quod Hebræa Ver. Testamenti verbatim transcribere solet. Arabs utitur verbo Duali יצירון Erunt illi duo vel ambo.

Zach. 9. 9. Ar. Mont.	Mat. 21. 5. *Ar. Mont.*
Humilis.	Mansuetus.

Ut 70 pro עני habent πραΰς, ita Chaldæus vertit ענוחן Mansuetus,

ſuetus, & ita exponitur ab aliis Judæorum magiſtris, ut a Kimchi in Zeph. 3. 12. Vulgo diſtinguunt inter עני & ענו, ita ut עני ſit Pauper, humilis, ענו Manſuetus: aſt promiſcuum harum vocum uſum obſervarunt viri docti non pauci. Quid quod ipſi Maſorethæ hanc libertatem ſibi aſſumunt, ut ubi ſcribitur עניים ſæpe legant ענוים, ut Pſal. 9. 13, 10, 12. Prov. 14. 21, 16, 19. &c. Ihno Rafi e Kimchi ad istu Zathborū exponunt Manſuetū ut ait Muis

Pſal. 8. 3. Mat. 21. 16.
Ar. Mont. *Ar. Mont.*

Fundaſti fortitudinem. Perfeciſti laudem.

Fundaſti] 70 καταρτίσω, Optime, nam καταρτίσαι Hebræo יסד per omnia reſpondet. Καταρτύσαι, κατασκευάσαι, τελειῶσαι, στερεῶσαι, inquit Heſych. Idem dicas de καταρτίσαι, & omnes hæ ſignificationes conveniunt verbo יסד. Primam ſignificationem ei attribuunt Syrus, Arabs, & Æthiopicus, qui hic reddunt per תקן. היא. & אשתדלו, quæ omnia ſignificant κατασκευάσαι præparare. Chaldæus explicat per שכלל, *i. e.* τελειῶσαι Perficere Exod. 9. 18. 1 Reg. 5. 17. Deniq; Firmare (στερεῶσαι) & Fundare parum differunt.

Fortitudinem] עז Hebr. pro quo 70 recte ponunt αἶνον. Nam 1. In lingua Arabica עזז eſt Honoravit, עז vel עזה Honor, laus, gloria. 2. Ei paſſim conjunctum reperies aliquod nomen gloriæ vel celebrationis, ut de ejus ſignificatu dubitare non poſſis. Vid. Exod. 15. 2. Pſal. 29. 1. 59. 17, 18. 63. 3. 78. 3. 96. 6, 7. 118. 14. ubi זמרת, כבוד, תהלות, &c. addita ſunt, ut exegetica vocis עז. 3. S. Hieron. Vulg. & recentiores interpretes non pauci, item Syrus, Arabs, & Verſio Æthiop. (in quibus omnibus eſt nomen deductum a radice שבח vel סבח) interpretantur Laudem. Si objicias, quod ipſi 70 nuſquam alias ſic tranſtulere, reſpondeo Fortaſſe ſic; at certe pro αἶνος apud eos occurrit τιμὴ ſæpius Pſal. 29. 1. 96. 7. 99. 4. item δόξα Pſal. 68. 35. Iſa. 12. 2. 45. 25. & ἁγίασμα Pſal. 132. 8. quæ ſunt Synonyma.

Dan.

Dan. 9. 27. Ar. Mont.	Mat. 24. 15. *Ar. Mont.*
Super alam abominationum ſtupefaciens.	Abominationem deſolationis in loco ſancto.

Alam] 70 & cum iis Vulg. & Arab. Templum ſeu Sanctuarium, pro quo Evangeliſta habet τόπῳ ἁγίῳ. Vel ergo (inquit doct. Lud. Capellus) 70 legere non כנף ſed היוכל, quod ἱερὸν Templum ſignificat, vel forte levi mutatione ה Pe finalis in Vau legerunt בנו, quæ vox cap. 11. 38 hujus Prophetiæ videtur ſignificare, & a quibuſdam interpretibus accipitur pro Templo Dei, & a 70 redditur iſthic τότε, quæ vox Joh. 11. 48. ſignificat Templum Hieroſolymitanum. Hactenus ille. Sed non eſt ſollicitandus textus Hebræus. Nam ſi כנף hic cum Ar. Mont. & aliis interpretemur Alam, dicere poſſumus per Alam 70 intellexiſſe vel Cherubim, vel forſan Alam ſeu pinnaculum Templi; per Cherubim autem vel Alam templi συνεκδοχικῶς Templum ipſum. Ad hæc כנף (ut notum) Chaldaice & Arabice ſonat Congregare, & inde כנפא Congregatio, quam ſignificationem ſecuti hi interpretes כנף de Templo ſeu domo Congregationis intellexerunt. Verba quæ ſono & literis parum diſcrepant, ſæpe ſunt אחים בלשון fratres in ſignificatione (ut Hebræi loquuntur) vel vicinæ ſignificationis: Quod videre eſt in כנף, כנס, כנש, & כפן, quæ omnia unum & idem ſignificant viz. Collegit, congregavit. Cum igitur כנש Æthiopicum eſt Templum, ſicut & כנאסה Arabicum, mirum videri non debet, ſi etiam כנף olim eandem ſignificationem habuit.

Abominationum] 70 Abominatio in ſingulari, nam frequens eſt Enallage numeri; & in ipſo Hebræo numeri confundi videntur in hac voce, nam Dan. 11. 31 & 12. 11 non eſt ut hic Dan. 9. שקוצים, ſed שקוץ.

Stupefaciens] משמם Hebr. *quod Hebræi nonnulli & quidam alii eos ſecuti ad obſtupefaciendi ſignificationem trahunt: ſed alii rectius cauſam eſſe negant, cur a maxime propria nec minus frequenti notione ἐρημώσεως hic diſcedamus*, Ita Grotius. Jachiades in Paraphraſi ab hac notione non recedit, ישרוף המקדש וישימהו משמם Comburet ſanctuarium & reddet deſolatum, ſic L. Empereur tranſtulit. Porro 70 videntur משמם accepiſſe pro Subſtantivo

tivo (assentientibus Hebræis, inquit Cornel. a Lapide) & qu. esset idem cum משמות, & sic transtulere ἐρημώσεων in Plurali.

Isa. 56. 7. Ar. Mont.	Mark 11. 17. *Ar. Mont.*
Domus orationis vocabitur omnibus populis.	Domus orationis vocabitur omnibus gentibus.

Ut λαοὶ & ἔθνη confunduntur a Græcis, & Populi, gentes, nationes a Latinis ; ita etiam עמים & גוים a 70, qui utrumq; exponunt per ἔθνη Isa. 11. 10 ; item a Chaldæo, qui pro גוי habet עם Gen. 12. 2, 1 Reg. 18. 10, Psal. 106. 5.

Isa. 41. 8, 9. Ar. Mont.	Luc. 1. 54. *Ar. Mont.*
9 *Qui apprehendi te.*	Suscepit Israel puerum su-
8 *Israel mi serve.*	um.

Qui apprehendi te] 70 ὃς ἀντελαβόμην, i.e. Quem apprehendi. Ἀντιλαμβάνομαι Prehendo, apprehendo, manum porrigo, ἀντιλαμβάνῃ, βοηθεῖ inquit Hesych. Idem significat החזיק Hebr. viz. Manu tenere seu prehendere aliquem, erigendi aut firmandi gratia. Rectissime etiam 70 legunt Quem, & non Qui te, ut Ar. Mont. In Hebræo est Pleonasmus ; qui cum Relativo אשר passim occurrit, & cujus exemplum habemus non solum in his verbis, Isa. 41. 9. אשר החזקתיך, sed etiam in istis commatis præcedentis אשר בחרתיך, quod est idem cum אשר בחרתי, Isa. 43. 10.

Serve] 70 παῖς, nam παῖς παιδεύει καὶ ἐπὶ τῶν δούλων Hesych. Tam assidue Scriptura pueros pro servis ponit, ut difficile inveniatur non isto nomine appellare servos, inquit Augustinus. Sic 1 Sam. 25 iidem dicuntur נערי v. 9, & עבדי v. 10.

Isa. 40. 3, 4, 5. Ar. Mont.	Luc. 3. 4, 5, 6. *Ar. Mont.*
3. *Complanate viam Domini, rectam facite in ſolitudine ſemitam ſtratam Dei noſtri.*	4. Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus.
4. *Omnis vallis exaltabit ſe.*	5. Omnis vallis implebitur.
5. *Et videbunt omnis caro pariter.*	6. Et videbit omnis caro Salutare Dei.

Complanate] פנו Hebr. eſt Parate, & ſic S. Hieron. Arabs, Vulg. & alii vertunt cum 70. Sic Evangeliſta S. Marcus c. 1. v. 3 idem verbum reddit per καλασκευάζων.

Rectam facite in ſolitudine] In ſolitudine deeſt apud 70, ut & apud S. Hieron. Hebræa ישרו בערבה ſic reddas, Dirigite in planitie, ſive in plano & recto tramite: Pro quo 70 Rectas facite. ערבה non tantum ſolitudinem, ſed etiam planitiem ſignificat: idem dicas de בקטא quo Syrus utitur apud Prophetam; & מישרא Chaldaicum ſemper planitiem, nunquam ſolitudinem ſignificat. Adde quod ערב inter alia eſt Dirigere, & ita ערבה ſit Directa via; & tum Hebræa ſic ſonabunt, In directa via dirigite, vel Dirigendo dirigite, *i. e.* ut 70 εὐθείας ποιεῖτε.

Semitam ſtratam] מסלה Hebr. pro quo 70 τρίβους, optime. Nam ut τρίβῳ Heſychio eſt ἀτραπὸς ὁδός, *i. e.* ut ipſe explicat ὁδὸς τετριμμένη, & Authori Etymologici ἡ καλαπεπατημένη ὁδός: ita מסלה eſt דרך כבושה via ſubacta, trita, vel conculcata, a סלה, vel ſi malis a סלל, quod aliquando ſonat idem quod סלה, *i. e.* Conculcare.

Dei noſtri] Sic 70 τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ſic Codex Bezæ vetuſtiſſimus in Mar. 1. 3, & ſic Verſio Gothica in Mar. 1. 3 Goths unſaris.

Exaltabit ſe] ונשא Hebr. *i. e.* exaltabitur; pro quo 70, Syr. & Arab. Implebitur: Cum vallis impletur, exaltatur ſive attollitur.

Pariter] 70 Salutare Dei, adeo ut pro יחדו videantur legiſſe ישעו σωτήριον αὐτοῦ, & pro αὐτοῦ majoris perſpicuitatis gratia poſuiſſe τοῦ Θεοῦ. Si eſſet major affinitas in figuris literarum ח ר & ש ע, hoc fidentius affirmarem.

Iſa. 61. 1. Ar. Mont.	Luc. 4. 18. *Ar. Mont.*
Ad evangelizandum manſuetis, ad ligandum faſciâ contritos corde, ad prædicandum captivis libertatem, & vinctis apertionem carceris.	Evangelizare pauperibus, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis reſtitutionem viſus.

Manſuetis] De promiſcuo uſu vocum עני & עני dictum ſupra in Mat. 21. 5.

Ligandum faſcia] חבש tralatitia ſignificatione idem eſt quod רפא *i. e.* Sanare, ut 70 vertunt, conſentientibus S. Hieron. Vulg. Arab. *&c.*

Vinctis] לאסורים Hebr., 70 τυφλοῖς Cæcis. Nonnulli ſuſpicari poſſunt eos pro לאסורים legiſſe לעורים, præſertim cum vox עורים conjungi ſolet verbo פקח ut Pſal. 146. 8. Iſa. 35. 5, 42. 7; & ſi in exemplaribus quibus 70 uſi ſunt, ſcriptum erat contracte לסורים pro לאסורים ut חסורים pro האסורים Eccleſ. 4. 14, tum proclive fuit unius literæ mutatione legere לעורים. Sed miſſis his, Kimchi apud Maldonat. author eſt cæcos appellari אסורים Ligatos, quod ligatos habere oculos videantur: Sic Oculis capti. Vid. Symmachum & Theodot. apud S Hieron.

Apertionem carceris] פקח קוח Hebr., 70 ἀνάβλεψιν, rectiſſime. קוח enim eſt Recipere vel receptio, פקח Apertio oculorum vel viſus (nam ſi פקחים Videntes Exod. 23. 8, quidni פקח Viſus?) Igitur פקח קוח reddas Receptionem viſus vel apertionis oculorum, *i. e.* ἀνάβλεψιν. Si malis eſſe unam dictionem, tum interpretari poſſis Omnimodam oculorum apertionem; nam, ut vulgo notum, פקח ad oculos fere ſemper refertur.

Pſal. 78. 24. Ar. Mont.	Joh. 6. 31. *Ar. Mont.*
Triticum cæleſte dedit eis.	Panem de cœlo dedit eis.

Triticum] Vel frumentum, דגן Hebr.; pro quo 70 (ut & Vulg.

r. Arab. & Æthiop.) Panem. [illegible]
um positum fuisse μετωνυμικῶς pro Pane ex eo facto? an vero דגן est vox generalior, & usurpatur non de Frumento tantum, sed etiam de aliis quibus homines vescuntur? An deniq; 70 scripsere σῖτον, & aliquis alius pro eo posuit ἄρτον absq; ullo sensus detrimento? Imo nomine ἄρτοι σῖτα apud Phavorinum?

Psal. 69. 26. Ar. Mont.	Act. 1. 20. *Ar. Mont.*
Sit palatium eorum desolatum.	Fiat commoratio ejus deserta.

Palatium] טירה Hebr. non solum Palatium significat, sed etiam Habitationem (ut Chald. Vulg. Syr. & Arab. hic vertunt) domicilium, *&c.* & sic ἔπαυλις Gr. non tantum Villam & ποιμενικὴν αὐλὴν designat, sed generalius αὐλὴν vel οἴκημα, teste Hesych.

Desolatum] נשמה Hebr., & sic 70 ἠρημωμένη, *i. e.* desolata.

Joel 3. 3, 4. Ar. Mont.	Act. 2. 19, 20. *Ar. Mont.*
Sanguinem, & ignem, & columnas fumi.	Sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.
4. *Diem Domini magnum & terribilem.*	20. Diem Domini illum, magnum & terribilem.

Columnas] תמרות Hebr. & יטורין Chald. ut significant Columnas, ita etiam Vapores sive exhalationes ascendentes in modum columnæ. Recte igitur 70, item S. Hieron. Vulg. Syr. Arab. *&c.* vertunt Vaporem.

Terribilem] Lud. de Dieu vult vocem Græcam ἐπιφανῆ habere hanc significationem, *nec dubium* (inquit ille) *quin inde truculentus ille Antiochus dictus sit* ἐπιφανὴς, *terribilis potius quam illustris.* Idem fere ante ipsum monuit Clar. Jacksonus noster Comment. in Symbol. l. 12. c. 12. s. 4. Deniq; Syrus & Versio Arabica Erpeniana apud S. Lucam sic interpretantur. Sin notam significationem vocis ἐπιφανῆ retinere malis, tum 70 tueri possis authoritate Chaldæi interpretis, qui Isa. 64. 3 pro נוראות Hebr. habet פרישן *i. e.* manifestata, mirabilia : sic S. Hieron. ibi Mirabilia;

Mirabilia; & ipſi 70 ibidem & Deut. 10. 21 τὰ ἔνδοξα Glorioſa. Videntur Chaldæus & 70 accepiſſe נורא quaſi eſſet idem quod נאור; vel quaſi eſſet a ראה, & idem quod נראה; vel forſan reſpexerunt ad ſignificationem dictionum Chaldaicarum נהורא & נורא. Arabs apud Joel. habet אלטאהר Manifeſtus, conſpicuus, clarus. Et quære Annon הנורא הקדוש Ezech. 1 22 melius verti poſſit Pellucidi Chryſtalli (vel Admirabilis Chryſtalli cum H. Grotio) quam Terribilis Chryſtalli.

Pſal. 16. 8, 9, 10, 11. Ar. Mont.	Act. 2. 25, 26, 27, 28. *Ar. Mont.*
Poſui Dominum coram me.	Prævidebam dominum in conſpectu meo.
9. *Exultavit gloria mea.*	26. Exultavit lingua mea.
10. *Non dabis miſericordem tuum videre foveam.*	27. Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.
11. *Saturitas lætitiarum cum facicbus tuis.*	28. Replebis me jucunditate cum facie tua.

Poſui] שוה in Piel eſt non ſolum Ponere, ſed etiam Proponere, ſeu recta ante oculos ponere; ut שוה in Kal eſt Rectum & æqualem eſſe. Recte igitur 70 προωρώμην, & S. Hieron. & alii non pauci Propoſui.

Gloria mea] 70 cum Arab. & Æthiop. &c. Lingua mea. Quæ ſignificatio optime conveniet Hebræo כבוד, non ſolum hoc loco ſed etiam Gen. 49. 6, Pſal. 30. ult. 57. 9. 108. 1. 149. 5. Dictiones quæ ab eodem Themate proveniunt uſurpantur ad deſignandas varias corporis partes, ut כבד Hebr. & Æthiop. eſt Jecur (& ſic 70 reddunt τὰ ἥπατα Gen. 49. 6) Arabice non tantum Jecur, ſed etiam Viſcera, latus, uterus cum adjacentibus, oſſa ad alvum pertinentia, & כברא eſt Vola manus. Cum igitur tot corporis partes his vocibus deſignantur, an mirum videri poteſt, ſi כבוד uſurpetur pro præciputa corporis parte, & ea quæ eſt divinæ gloriæ celebrandæ ſuper alias deſtinata, item maxima hominis gloria, ſi eâ bene utatur?

Miſericordem] 70 ὅσιον. Ὅσιος eſt *Hebræorum* חסיד, *pro quo Syri abjecto* ד ſcribunt חסיא, *unde eſt græcum* ὅσιος, ita *Lud. de Dieu.* Quod χάσιος ſit a חסיא vix ambigi poteſt: at χάσιος, ἀγαθὸς, χρηστὸς, juxta Heſych.; & ita ὅσιος (ſi ſit ab eadem

eadem origine, ut de Dieu) erit Bonus, benignus, beneficus, pius, &c. Quid multa? Etiam S. Hieron. hic חסיד reddit Sanctum, ut & Pſal. 30. 5 50. 5. 52. 11. 85. 9. 132. 16; imo & ipſi Hebræorum magiſtri ſic accipiunt, cum hominem ſuperſtitioſum vel nimis ſanctum vocant חסיד שוטה Sanctum fatuum. x 10. 25

Foveam] שחת Hebr. eſt etiam Corruptio, ut notum.

Saturitas lætitiarum] 70 πληρώσεις μὲ εὐφροσύνης. Beza ſuſpicatur initio ſcriptum fuiſſe πλήρωσις vel πλησώσις (in Plurali) & pronomen μὲ poſtea irrepſiſſe. S. Hieron. & poſt ipſum alii referunt שבע Hebr. ad תוריעני quod præceſſit, hoc ſenſu; Oſtendes mihi plenitudinem, quod 70 dixere πλησώσεις μὲ: Vel forſan 70 voluere שבע eſſe Benoni, & per verbum Futuri temporis (ut ſæpe alias) interpretati ſunt, quod itidem faciunt Vulg. Arab. & Æthiop.

Exod. 2. 14. Ar. Mont.	Act. 7. 28. *Ar. Mont.*
Numquid ad occidendum me tu dicens, quemadmodum occidiſti Ægyptium?	Non interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Ægyptium.

Numquid] Sic μὴ Gr. ſæpe eſt Numquid, an &c. & ita apud S. Lucam vertunt omnes (ut opinor) præter unum Ar. Mont. Vid. etiam Tranſlationem Verſionis 70 in Bibl. Polygl.

Tu dicens] 70 Tu vis. אמר Hebr. non tantum eſt Dicere, ſed etiam Cogitare, apud ſe ſtatuere vel decernere (& inde בלב toties additur Gen. 8. 21. 27, 41. Pſal. 4. 4. 14. 1. &c.) & Arabice Conſultare, deliberare, concilium inire. Sic 2 Sam. 21. 16 70 vertunt διενοήθη Mente agitavit, cogitavit, ſtuduit vel in animo habuit.

Heri] Videtur eſſe ex Gloſſa, cum apud Moſen reperiatur tantum in Græc. Vulg. & Syr., non in reliquis verſionibus, nec in Hebræo. Niſi dicas 70 pro באשר legiſſe כאמש, quod tamen non nimium aſſirmarem.

Amos 5. 26. Ar. Mont.	Act. 7. 43. *Ar. Mont.*
Portaſtis Ziccuth regem veſtrum, & Saturnum imaginum veſtrarum, ſtellam Deorum veſtrorum quos feciſtis.	Suſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Remphan, figuras quas feciſtis.

Portaſtis] 70 ἀνελάβετε *i. e.* Suſtuliſtis, & ſic נשא Hebr. eſt Tollere. Aut ſi ἀνελάβετε exponas Suſcepiſtis, in manus ſumpſiſtis, etiam נשא Chaldaice eſt Sumere, accipere (ut נשא אשה Accipere vel ducere uxorem) imo & Hebraice.

Ziccuth] 70 Tabernaculum, & ſic S. Hieron., Symmachus, Syr., Arab., Vulg., item Aquila, niſi quod legit in Plur. συσκιασμούς.

Regem veſtrum] 70 Moloch, & ſic S. Hieron., Aquila, Syr, Arab., & Vulg. transferunt מלך nomine proprio, non appellativo. Sed quid dicemus de pronomine Veſtrum, quod deeſt apud 70? An aliquando ſcriptum fuit apud eos μολὸχ ὑμῶν, ut S. Hieron. habet Moloch veſtro? An omiſſo altero כ pro מלככם legere מלכם? nam ſic Aquila vertit μολχὸμ, & Syr. מלכים. An deniq; hoc Pronomen ex membro ſequenti ἀπὸ κειτὲ eſt intelligendum?

Saturnum imaginum veſtrarum, ſtellam Deorum veſtrorum] 70 τὸ ἄστρον τὸ Θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφὰν τοὺς τύπους, quaſi ſitus verborum apud Prophetam hic fuiſſet את כוכב אלהיכם כיון צלמיכם. Ubi אלהיכם reddi poteſt vel Dei veſtri ut 70, vel Deorum veſtrorum ut Ar. Mont.; ſed plures ſequuntur 70. Maxima difficultas eſt quod pro כיון Hebr. apud 70 eſt ῥαιφὰν, apud S. Lucam ῥεμφὰν. Alii putant 70 pro כיון legiſſe ריון; alii eos ſcripſiſſe Kephan quod oſcitantia ſcribarum poſtea factum Rephan; alii in codicibus Hebræis olim fuiſſe ריון non כיון (quod de aliquibus codicibus verum eſſe ex eo confirmari cenſent, quod S. Hieron. libro de nominibus Hebraicis inter ea quæ ex Amoſo interpretatur pro כיון habet Rephan); alii eos legiſſe כיון ut nos, & tamen ſcripſiſſe ῥεφὰν vel ῥαφὰν, non κεφὰν. Horum alii volunt כיון & ῥεφὰν fuiſſe nomina unius & ejuſdem oppidi in Ammonitarum finibus ut Tremell. & Jun.; alii fuiſſe nomina unius & ejuſdem ſtellæ; alii deniq; utroq; nomine non unicam ſtellam, ſed figurationem ſeu repræſentationem omnium aſtro-

ium

rum ſive totius exercitus cœleſtis ſignificari. Ex iis qui cenſent eſſe nomina unius & ejuſdem ſtellæ, nonnulli Jovem nominant: Alii Martem, quem Ægyptii vocant ῥολχ, ut videas in Kircheri Scala magna & Prodromo: Luciferum alii, moti forſan authoritate S. Hieron., qui exponens iſta verba, Sidus Dei veſtri, meminit Luciferi, quem ætate ſua a Saracenis cultum fuiſſe teſtatur, & in Amoſ 5, & in vita S. Hilarionis cap. 20. Non deſunt qui Sirium ſive Caniculam intelligunt, propter affinitatem inter Chiun Hebr. & κύων (canis) Gr. (vid. Aretium) & de Remphan addunt, quod eſt quaſi ῥεμφὰν, a ῥέμβειν in gyrum agere, Sirius enim canes in orbem circumagit, ſic illi. Sunt etiam qui Solem intelligi volunt. Chiun illis eſt Hercules, dictus ab Ægyptiis Chon, a Judæis רפא ῥεφὰ, viz. a gigantea forma & magnitudine; per Herculem autem intelligunt Solem, nam nomen Hercules (ſi his fides tribuenda eſt) optime convenit, nempe Sol ita dictus eſt quia האיר כל i. e. illuminat omnia. Sed videſis quæ Porphyrius apud Euſebium de Præpar. Evang. lib. 3. c. 4, & Macrobius de hac re diſſerunt. Tantum addo, quod ut Moloch ſic Hercules humanis hoſtiis placari ſolitus, teſte Plinio lib. 36. c. 5. Reſtat interpretatio forſan nulli ſecunda, viz. כיון & ῥεφὰν fuiſſe nomina ſtellæ Saturni. Saturnus Syris dictus eſt כאון, in lingua Punica Chiun (ſi doct. Peritus recte interpretatus eſt Lechium na (ſic enim diſtinguit & reſcribit vocabulum Lechianna) in Plauti Pœnulo) in lingua Arabica & Perſica כיואן ut teſtantur Abenezra & R. Dav. Kimchi in Amoſ. 5, & idem confirmat Joh. Gregorius noſter ex Gloſſariis Perſicis, ex Camuſio Pocockius noſter, & ex Etymologico Perſico-Turcico cui nomen Daniſtan Lud. de Dieu. Quod ad ῥεφὰν attinet, Dicunt Ægyptii Saturnum Rephan, inquit Kircherus in Prodromo Copt. c. 5, & ſic in Scala magna ῥεφὰν, זחל i. e. Rephan Saturnus (ſicut in Camuſio habes כיואן, זחל i. e. Kaiwan, Saturnus) vid. etiam ſi libet quæ de Dieu tranſcripſit ex Alphabeto Ægyptiaco Roma ad Salmaſium miſſo. Sic prudentiſſimi interpretes in Ægyptiorum gratiam ſacra Biblia transferentes ignotum ipſis Hebræorum כיון in notiſſimum Rephan tranſmutarunt. His quæ tam fuſe dicta ſunt adhuc addi poteſt, quod ut Theodotio teſte S. Hieron. כיון interpretatus eſt ἀμαύρωσιν, i. e. obſcuritatem, ita Theophylactus ῥεφὰ interpretatur σκότωμὸν, ἤτοι τύφλωσιν. Vi. Brought. Canaan. p. 32

Exod.

Exod. 30. 36. Ar. Mont.	Act. 7. 44. *Ar. Mont.*
Tabernaculo conventus.	Tabernaculum teſtimonii.

70 hic interpretantur אהל מועד, ut אהל העדת Num. 9. 15, 17. 7. Imo in hoc loco Exod. 30 & מועד & העדה vertunt μαρτύριον. An igitur voluere hæc duo nomina eſſe ab una & eadem radice? an duo themata יעד & עוד (quod in verbis Defectivis & Quieſcentibus ſolenne eſt) ſignificationem permutare? Vulg. & alii cum 70 legunt Tabernaculum teſtimonii, & eodem ſenſu Onkelos & Jonathan משכן זמנא *i. e.* (ut Fagius & Bibl. Polygl. reddunt) Tabernaculum fœderis, & ita Giggeius exponit חבא מחצר apud Arabem. Tantum addo, quod cum in verbis proxime ſequentibus 70 אועד vertunt γνωσθήσομαι, vel pro אועד legere אורע, vel acceperunt אועד eo ſenſu ut ſignificaret Teſtimonium mei-ipſius dabo.

Iſa. 53. 8. Ar. Mont.	Act. 8. 33. *Ar. Mont.*
De clauſura & de judicio ſublatus eſt———Abſciſſus eſt de terra viventium.	In humilitate ejus judicium ejus ſublatum eſt——Tollitur a terra vita ejus.

De clauſura & de judicio ſublatus eſt] Doct. Pocockius noſter monet Hebraica ut nunc ſunt abſq; omni mutatione ſic commode verti poſſe, Præ afflictione etiam a judicio ſublatus eſt, & ſive legas *A judicio ſublatus eſt*, ſive *Judicium ejus ſublatum eſt*, idem valet; ſic ille. Si ulla mutatio admittenda eſt, ut ſit minima, puta 70 pro מעצר וממשפט legiſſe משפטו מעצר, & expone מעצר Poſtquam depreſſus eſt. Chaldaice & Arabice עצר eſt Premere; quidni etiam Hebraice? Certe a quibuſdam hic redditur Oppreſſio, & Pſal. 107. 39 Verſio Anglic. & Gallic. cum Paraphr. Chald. ſic exponunt. Hoc modo ſenſus erit, Poſtquam depreſſus eſt (idem cum In depreſſione ἐν ταπεινώσει apud 70) judicium ejus ſublatum eſt. Beza & Druſius ſuſpicantur 70 ſcripſiſſe non ἡ κρίσις, ſed ἢ vel ᾗ κρίσει.

Abſciſſus eſt de terra viventium] Hebræa cum 70 ſic legas, Abſciſſa eſt de terra vita, ſupple Ejus. חיים eſt Vita, ut omnes norunt, nec veriti ſunt 70 hoc nomen adjungere verbo ſingulari, præſertim cum Hebræis in hac ſignificatione ſit tantum Plurale.

Iſa. 55. 3.	Act. 13. 34.
Ar. Mont.	*Ar. Mont.*
Miſericordias David ſtabiles.	Sancta David fidelia.

Miſericordias] *Idem ex Helleniſtarum uſu* τὰ ὅσια, τὰ δίκαια, & τὰ ἐλέη, & *quod* Iſa. 55. 3 70 *vertunt* τὰ ὅσια, 2 Paral. 6. 42 verterunt τὰ ἐλέη, inquit *Lud. de Dieu.*

Stabiles] נאמנים Hebr. *i. e.* Fidelia, & ſic 70 πιστὰ, ſed πιστὰ, βέβαια, inquit Heſych. Vid. S. Hieron. in Iſa. 55.

Hab. 1. 5.	Act. 13. 41.
Ar. Mont.	*Ar. Mont.*
Videte in gentibus, & aſpicite, & attoniti eſtote, obſtupeſcite.	Videte contemptores, & admiramini, & evaneſcite.

Nonnulli pro בגוים (in gentibus) ſubſtituunt בגדים (tranſgreſſores) vel בוזים (contemptores), & pro תמהו (obſtupeſcite) alii התמו in Imperativo Niphal a תמם, ita Grotius ; alii תמחו (delemini, diſperdimini) a מחה, ſic A Lapide ; alii deniq; תסתרו (abſcondite vos), ἀφανίζω enim, verbum quo 70 utuntur, inter alia ſignificat Abſcondere. At nullâ mutatione hic opus eſt, ſi Doct. Pocockium noſtrum audiamus, qui de hoc loco ſuſe agit. Juxta ipſum בגוים eſt ſimplex & unica dictio a themate בגא, quod in uſu olim apud Hebræos fuiſſe contendit, & ſignificaſſe idem quod בגא Arabicum, *viz.* Se ſuper aliquem extollere, ſuperbe aut inſolenter ſe gerere, faſtuoſe incedere *&c.* Pro בגוים Arabs hic habet מתעאפלין, quod Pocock. vertit Negligentes, ſed alii melius Contemptores, ſicut interpres Anonymus apud S. Hieron., בגוים reddit Calumniatores. Ad תמהו quod attinet, idem Pocock. monet תמה Arabice eſſe Corrumpi, vel in pejus mutari: Et annon hæc eſt nota ſignificatio verbi ἀφανίζομαι? Sic enim S. Chryſoſtomus

ſtomus in S. Mat. 6. 16 ἀφανίζωσι exponit διαστρέφουσι, & ſi conferas Mat. 6. 19 cum Luc. 12. 33 pro ἀφανίζει apud S. Matth. S. Lucas habet διαφθείρει; ſic ἀφανίζεσθαι, φθείρεσθαι apud Phavorinum, & ἀφανίζειν, σήπειν, ἀπολύειν, apud Heſych.; & ſic deniq; Syrus & Vulg. interpretantur ἀφανισθήτε hoc loco Act. 13. 41, ubi Syrus habet תתחבלון *i. e.* Corrumpamini, abeatis in corruptionem, Vulg. Diſperdimini. Hæc vel ſimilia forſan miretur aliquis Clar. Pocockium non annotaſſe. Sed ſi vis, retinere poſſis notum ſignificatum verbi תמהו *i. e.* Obſtupeſcite; ſic enim ἀφανισμὸς ſtuporem ſignificat Ezek. 12. 19, & ἀφανισθήσονται Obſtupeſcent ſeu mente deſolabuntur Hoſ. 5. 15. Deniq; ut 70 ἠφανίσθητε, ſic & S. Hieron. habet Et obſtupeſcite, quaſi ſcriptum fuiſſet ותמהו; ita etiam Vulg. Syr. Arab.

Amoſ. 9. 12. Ar. Mont.	Act. 15. 17. *Ar. Mont.*
Ut poſſideant reſiduum E-dom.	Ut requirant cæteri homines Dominum.

Hic pro וירשו non pauci ſubſtituunt וידרשו, pro אדום itidem אדם, & pro את, alii אתי, alii אל, alii deniq; ה præfixum voci שארית. Prima mutatio particulæ את in אתי introducta eſt, ut eſſet aliquid quod reſponderet pronomini Me apud S. Hieron. interpretantem 70, & exemplar Aldinum. Secunda את in אל, ut eſſet quod reſponderet voci Κύριος apud S. Lucam, & Arabem in Amoſ. 9, & 70 juxta MS. Alexand. Tertia את in ה Præfixum, quia putarunt את ſemper eſſe notam Accuſativi, in quo falſi ſunt, nam את eſt etiam nota caſus recti, & hoc non tantum ubi cum verbis Paſſivis, ſed etiam ubi cum verbis Neutris aut Tranſitivis conſtruitur, ut videas apud Clar. Lud. de Dieu. Ille verba Prophetæ ut nunc ſunt, abſq; omni mutatione ſic interpretatur, *Ut reliquiæ Edom* (i. e. *populorum*) *ſtudeant vel quærant poſſidere.* Vult enim per Edom vel Idumæos ſignificari omnes reliquos homines præter Judæos & ירש hic non tam ipſam poſſeſſionem quam poſſidendi ſtudium denotare, *quod requirendi verbo 70 ſatis feliciter expreſſerunt*, inquit ille. Addo quod ו in וירשו poſſit eſſe Affixum, ſic ſenſus erit, Ut reſiduum Edom poſſidere ſtudeat

vel requirat ipſum *i. e.* Davidem v. 11, pro quo S. Lucas legit ὁ κύριον *i. e.* Chriſtum.

Pſal. 51. 4. Ar. Mont.	Rom. 3. 4. *Ar. Mont.*
Mundus ſis in judicando te.	Et vincas in judicari te.

Mundus ſis] זכא Syriacum eſt Vincere, ut notum, & juxta hanc ſignificationem 70 interpretati ſunt זכה Hebr., & cum iis Theodotio, Symmachus, S. Hieron., Vulg., Arab., & Æthiop., in Pſal. 51, ut de Syro nihil dicam.

In judicando te] Sententia eſt anceps in utraq; lingua. Ut In judicando te בשפטך Hebr. poteſt exponi vel Quum tu judicas, vel Quum aliquis judicat te, *i. e.* quum judicaris : ita ἐν τῷ κρίνεσθαί σε apud 70 vel Active vel Paſſive accipi poteſt.

Copulativa Et, quæ addi a 70 videri poſſit, reperitur apud S. Hieron. & omnes verſiones in Bibl. Polygl. præter Chald.

Pſal. 14. 3. Ar. Mont.	Rom. 3. 12. *Ar. Mont.*
Omnis receſſit, pariter rancidi facti ſunt.	Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt.

Receſſit] סור Hebr. eſt Declinare, ut notum, & ſic 70 vertunt, conſentientibus Syr. Arab. Verſ. Gallic. Anglic. *&c.*

Rancidi facti ſunt] Cibi rancidi ſunt inutiles & eſui inidonei, non male igitur 70, ſi reddant Inutiles facti. Sed verbum quo utuntur eſt ἠχρεώθησαν, & quid ſi eo ſenſu ut ſignificet Turpes facti ſunt ? Ἀχρεῖος non tantum eſt Inutilis, ſed etiam Indecorus, turpis. Sic ἀχρεῖον ἰδὼν apud Homerum, Indecore aſpiciens, σκυθρωπάσας καὶ διαβλέψας πλὼ ὄψιν ut Heſych. Et ſic Hebræum נאלחו reddas Turpes facti ſunt. Alibi viz. Job 15. 16. reddit נאלח 70 vertunt ἀκάθαρτος, (ut a Chaldæo מסאב Pollutus, contaminatus & in Verſ. Angl. *Filthie*) Rectiſſime ; ſic enim Doct. Schindler. נאלח *Metaphorice Contaminatus fuit.*

Pſal.

Pſal. 10. 7. Ar. Mont.	Rom. 3. 14. *Ar. Mont.*
Execratione os ejus plenum eſt & dolis.	Os maledictione & amaritudine plenum eſt.

Dolis] 70 πικρίας, pro מרמות forſan legentes מרורות. Grotius vult eos legiſſe מרדות, alii מרורות. Arabs habet מראה.

Iſa. 59. 7. Ar. Mont.	Rom. 3. 16. *Ar. Mont.*
Vaſtitas & contritio in viis ſtratis eorum.	Contritio & calamitas in viis eorum.

Vaſtitas & contritio] שד ושבר Hebr. שד Calamitas vel vaſtitas, & שבר Contritio; quæ 70 legunt ordine inverſo Contritio & calamitas.

Viis ſtratis] מסלה Hebr. quamlibet viam ſignificat. Vid. ſupra in Luc. 3. 4 &c.

Gen. 15. 6. Ar. Mont.	Rom. 4. 3, Gal. 3. 6, Jac. 2. *Ar. Mont.*
Credidit in Dominum, & imputavit illud ei juſtitiam.	Credidit Abram Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.

Dôminum] 70 Deo. In Hebræo eſt יהוה, & hic forſan legerunt Elohim non Adonai. Vel forte hoc provenit ex compendio ſcribendi Θς & Κς.

Imputavit illud] 70 paſſive vertunt; igitur Tolet. cenſet eos pro יחשבה legiſſe יחשב abſq; Affixo ה in voce Paſſiva. Potius dicerem eos voluiſſe ה hic eſſe Paragogicum: aliquando enim, licet rarius, occurrit ה Paragogicum in tertia perſona Futuri. Si hoc diſplicet, quid ſi dicas ἐλογίσθη eſſe tanquam Imperſonale? Hebræi enim hanc verborum qualitatem per Activa aliquando exprimunt, ut Exod. 30. 37 חעשו, quod 70 red-

dunt ποιήσει, cæteri veteres Interpretes vertunt ποιηθήσεται. Videsis Patric. Junium & Flamin. Nobil.

Justitiam] 70 Ad justitiam, recte ; nam צדקה est idem quod לצדקה Psal. 106. 31.

Confer. Vulg. & Syr. cum 70 per totum hoc comma.

Isa. 10. 22, 23. Ar. Mont.	Rom. 9. 27, 28. *Ar. Mont.*
Residuum convertetur in eo : Consummatio decisa inundans justitiam.	Reliquiæ servabuntur.
23 *Quia consummationem & decisam, Dominus Dominus exercituum faciens.*	28 Rem enim consummabit & concidet in justitia, quia verbum concisum faciet Dominus.

Convertetur] 70 σωθήσεται. An igitur legere ישוע pro ישוב ? An quod Propheta vocat Reditum, illi appellant Evasionem sive liberationem ? Vel deniqs, si sermo sit de conversione ad Deum, an pro ipsa conversione posuere ejus consequens *viz.* Salutem? Certe, ad primam conjecturam quod attinet, ישוע pro ישוב facilis est mutatio : Et si hi interpretes legerunt ישוע ut Futurum Passivum respondens Græco σωθήσεται, dicendum est eos formasse quasi esset a שוע, secundum quod de תשועה affirmat Doct. Buxtorfius, *Habet formam* (inquit ille) *a* שוע, *ut sæpe hæc Quiescentium genera formas inter se permutant.* Quid multa ? Nonne תשיבה Psal. 35. 17 a Vatablo, Mollero, R. Kimchi apud Pagnin., & aliis, vertitur Eripe vel Erue ; ab Æthiopico אורחן *i. e.* Serva vel Salva? & sic 70 hic שאר ישוב Reliquiæ servabuntur vel eripientur.

In eo] Αὐτῶν respondet apud 70.

Consummatio decisa inundans] כליון חרוץ שטף Hebr. sic vertas Summam concisam accelerans, *viz.* ad perfectionem seu consummationem. Pro שטף (accelerans ad perfectionem) 70 habent συντελῶν, pro חרוץ συντέμνων, pro כליון λόγον *i. e.* summam. Nam ut λόγος rationem seu summam significat, sic & כליון, *viz.* a כלל In summam redigere, unde כלכלו Summati vel numerati sunt, in una summa comprehensi 1 Reg. 20 27, & כלל vel כללא Complexio, summa. Villetus igitur & Hammond, in Rom. 9 legunt Summam perficiens. Interpretationem

terpretationem noſtram dictionis חשׁץ confirmat Elias in Tisbi, qui diſerte ſcribit, quod חשׁץ habet ſignificationem מהירות *i. e.* accelerationis. Vid. etiam Schindler.

Juſtitiam] צדקה Hebr., 70 ἐν δικαιοσύνῃ. Nempe ut nuperrime habuimus צדקה pro לצדקה, ita hic eſt צדקה pro בצדקה, Ita Syrus בזריקותא, Arabs באלעדל, Chaldæus בזכו, & iterum Iſa. 45. 23 pro צדקה iſte Paraphraſtes legit בזכו. Vid. Hyperium, Scultetum, Verſ. Angl. & alios in Iſa. 45. 23, item Verſ. Angl. in Iſa. 10. 22 in margine. ב multis in locis deficit juxta notam regulam.

Conſummationem & deciſam] כלה ונחרצה *i. e.* ſummam etiam deciſam.

Dominus exercituum] Sic & 70 Κύριος Σαβαώθ juxta Exemplar Complut. Vid etiam Edit. Roman. cum aliis exemplaribus collatam in Bibl. Polygl.

Iſa. 1. 9. Ar. Mont.	Rom. 9. 29. *Ar. Mont.*
Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſuperſtitem ut parum.	Si non Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen.

Superſtitem] 70 & Vulg. Semen. Nam שרד *Reſiduum manere* vel *ſui relinquere ſemen*, inquit Forerius. Et סריד Syr. Semen ut Schindler, & ſic apud Apoſtolum pro σπέρμα Syrus habet סרידא.

Ut parum] 70 fortaſſe cenſebant hoc pertinere ad poſterius membrum hujus commatis, ubi particula ὰν ei reſpondere poteſt, quam Ar. Mont. vertit Utiq;. Tum Hebræa ſic ſonabunt Parum abfuiſſet ut fuiſſemus ſicut Sodoma, pro quo 70 Utiq; fuiſſemus ſicut Sodoma.

Pſal. 19. 5. Ar. Mont.	Rom. 10. 18. *Ar. Mont.*
In omnem terram exivit linea eorum.	In omnem terram exivit ſonus eorum.

Linea] 70 φθόγγος, S. Hieron. & Vulg. Sonus, Symmachus ἦχος, Æthiop. נגרם Sermo eorum, Arab. אצואתהם Voces eorum, Syr. סברתהון Annunciatio eorum. Hinc aliqui ſuſpicantur pro קום olim ſcriptum fuiſſe קולם. Alii 70 accepiſſe קום ac ſi eſſet a חוה, quod Chaldaice, Syriace, imo & Hebraice ſignificat Eloqui, enunciare *&c.* Alii (ut Muis) affirmant קו inter alia ſignificare ſonum illum, *quem edit linea aut amuſſis dum a fabris lignariis extenſa ſuper lignum remittitur.* Alii pro φθόγγος ſubſtituunt θόλος. Sed operæ pretium erit conſulere Doct. Pocock. noſtrum, qui ab Arabica ſignificatione verborum קוה & קוקא quæ ſonant Exclamare, Vociferari, concludit קו olim habuiſſe notionem Clamoris & vociferationis. Nec contemnenda ſunt, quæ adfert clar. Petitus, קו *ſignificat literam, elementum, ſeu verſum, qualem pueri elementarii addiſcunt, & ſic* φθόγγος *Græcis ſcriptoribus pro litera uſurpatur, non tantum vocali, ſed etiam conſona, ut Plutarcho in vita Fabii.* Sic ille.

Iſa. 65. 1, 2. Ar. Mont.	Rom. 10. 20, 21. *Ar. Mont.*
Quæſitus ſum iis non interrogaverant, inventus ſum iis non quæſierant me.	Inventus ſum me non quærentibus, conſpicuus factus ſum me non interrogantibus.
2 *Expandi manus meas tota die ad populum contumacem.*	21 Totam diem expandi manus meas ad populum impersuaſum & contradicentem.

Membra prioris commatis ſunt tranſpoſita apud S. Paulum in noſtris codicibus, at non ita apud 70. Imo juxta codicem Bezæ Claromont. & Verſ. Syriacam nullus eſt membrorum trajectus apud Apoſtolum.

Quæſitus

Quæsitus sum] 70 Conspicuus factus sum, ut Tremell. Expositus sum. דרש unde נדרשתי Hebr. est Chaldaice Exponere, & inde מדרש Expositio, Commentarius, ut notum. Nec desunt inter Hebræos qui hic exponunt Inveniendum vel obvium me dedi, occurri &c. Sic דרושים Psal. 111. 2 exponitur Inventa, obvia, & a 70 eodem sensu ἐξεζητημένα. Audi doct. Castellum nostrum in Orat. Inaugural. *Quæsitus sum a non petentibus. Quid hoc? Quærere & non petere? Imo* דרש, *quod in Kal est Quærere, in Niphal est Inveniri. Verti igitur debet Inventus sum.* Hæc ille. Non opus est igitur cum Grotio substituere הדרשתי pro נדרשתי.

Contumacem] In 70 additur Et contradicentem, *quod in exemplaribus Hebræorum non habetur*, inquit Origenes. Suspicio igitur est, ne forte duæ tralationes coaluerint.

Isa. 29. 10.	Rom. 11. 8.
Ar. Mont.	*Ar. Mont.*

Spiritum soporis. Spiritum Compunctionis.

Soporis] 70 κατανύξεως. Κατανένυγμαι, ἡσύχασα. Κατανύγητε, ἡσυχάσατε Κατάνυξις, ἡσυχία, ut Hesych. Κατανένυγμαι habes Isa. 6. 5, Κατανύγητε Psal. 4. 4, in quibus locis ut & Levit. 10.3 Psal. 30. 13 35. 15 Isa. 47. 5 κατανύττεσθαι respondet verbis דמה, דום vel דמם quæ significant Silere, tacere, quiescere, & sic Hesychius recte interpretatus est ἡσυχάζειν. Κατάνυξις habes hoc loco *viz.* Isa. 29, ubi etiam recte interpretatur ἡσυχία, nam תרדמה Hebr. significat altam quietem, imo gravissimum & profundissimum somnum, deniq; stuporem. Alibi *viz.* Dan. 10. 15 κατανύττεσθαι usurpatur pro נאלם Obmutescere? Vid. etiam Suidam in dictione Κατανυγείς. Hactenus partim ex Hesychio, partim ex Hebrææ veritatis collatione ostendere conati sumus quæ sit vis vocis κατάνυξις apud 70. Videamus jam quomodo interpretes olim exposuerunt πνεῦμα κατανύξεως Rom. 11. 8. Syrus vertit רוחא מדערניתא Spiritum tenebricosum & caliginosum (ut Lud. de Dieu ex Glossario Syro-Arabico & Ferrario) vel potius Spiritum stupidum ut Bibl. Polygl. & Lexic. Heptagl. Versio Arab. Erpeniana רוחא סאהיא Spiritum stupentem seu stupidum. Versio Arab. in Bibl. Polygl. רוח חשוע, quod vertunt Spiritum submissionis, at forsan rectius

 exponas

exponas Spiritum quietis. Deniq; Versio Æthiop. מנפש דנזן Spiritum torporis seu torpidum. Sic ὄνος κατανύξεως Psal. 60. 3 apud Æthiop. est וין מדנגץ Vinum stuporis vel stupefaciens, juxta S. Hieron. Vinum consopiens, in Hebræo וין תרעלה Vinum horroris vel stuporis. Igitur πνεῦμα κατανύξεως reddi debuit non Spiritum compunctionis ut Ar. Mont. Vulg. &c, sed Spiritum soporis ut Vers. Anglic. Gallic., vel etiam stuporis ut Beza. Nec culpandi sunt 70, quod vel תרדם transtulerunt κατανενυγμένος Dan. 10. 9, vel תרדמה hic Isa. 29 κατανύξεως, eodem sensu quo θάμβος 1 Sam. 26. 12. Idem nomen Aquila κατάφορὰν interpretatus est, Symmachus κάρον teste S. Hieron. de Quæstionibus Hebraicis.

Psal. 69. 22, 23. Ar. Mont.	Rom. 11. 9, 10. *Ar. Mont.*
Et ad paces in offendiculum.	In scandalum & retributionem illis.
23 *Lumbos eorum semper nutare facias.*	10 Dorsum eorum semper incurva.

In nostris codicibus apud Apostolum est transpositio verborum prioris commatis, quæ non est in Vers. 70, nec fuit in istis codicibus, quos secuti sunt Syrus in Rom. 11 & Æthiopicus.

Ad paces] 70 In retributionem, & sic S. Hieron. Vulg. Syr. Arab. & recentiores non pauci. שלומים vel paces vel retributiones significat, Symmachus igitur vertit τιμωρία, momente S. Basilio.

Nutare facias] 70 Incurva, nam מעד Hebr. inter alia est Declinare.

Lumbos] 70 Dorsum, & ita Lexic. Heptagl. interpretatur מתנים Hebr. Dorsa, quia Syriace & Arabice sic sonat. S. Hieron. Vulg. Syr. & Arab. cum 70 legunt Dorsum eorum incurva.

Isa.

Isa. 59. 20. Ar. Mont.	Rom. 11. 26. *Ar. Mont.*
Veniet ad Sion redemptor, & ad redeuntes prævaricatione in Jabacob.	Veniat ex Sion liberator, & avertet impietates a Jacob.

Ad Sion] Pro Ad apud 70 est ἕνεκεν, & sic apud Origenem Propter, pro quo cum Apostolus habet ἐκ, conjicit Beza ex ἕνεκα (vel ἕνεκα ut Edit. Aldin. & MS. Marchal.) librariorum culpa factum esse ἐκ. At forsan in aliquibus exemplaribus Versionis 70 fuit ἐκ, ut in Complutensi est ἀπὸ, & apud S. Hieron. in Commentario De. Ut ut sit, Præfixum ל significat utrumq;, & Propter (quod nemo non fatebitur) & A, ab vel de, ut Vulg. 70, Vers. Gallic. &c. exponunt 2 Paralip. 1. 13.

Ad redeuntes prævaricatione] 70 Avertet impietates a Jacob, & eodem sensu Chaldæus Ad convertendum rebelles domus Jacob. Videntur Chaldæus interpres & 70 pro לשבי (quod Ar. Mont. vertit Ad redeuntes) legisse לשיב literis iisdem, unica י transposita. Nam לאתבא Chald. exacte respondet Hebræo להשיב, quod contracte est לשיב.

In Jabacob] 70 A Jacob. Sic enim doct. Pagninus, ב *ponitur vice* מן *Levit.* 8. 32 *Exod.* 12. 43, *& sic* בעד *Gen.* 26. 8. *Judic.* 5. 28. Vel forsan dicas 70 pro ביעקב legisse מיעקב, quod habes Isa. 65. 9.

Isa. 40. 13. Ar. Mont.	Rom. 11. 34. 1 Cor. 2. 16. *Ar. Mont.*
Quis instruxit spiritum Domini? & vir consilium ejus scire faciet eum?	Quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit ———qui instruet eum?

Instruxit] ἔγνω 70, *quod valet Scire fecit vel instruxit*, ita *Grot.* Capellus vult eos pro תכן legisse תבין; quod satis probabile mihi videretur (nam levis est mutatio תכן in תבין vel etiam תבן) si non obstaret, quod Prov. 24. 12 idem verbum ab ipsis vertitur γινώσκει; ibi tamen (ut mihi videtur) dici haud potest eos legisse תבין pro תכן, nec ipse Capellus

hoc dixiſſet. תכן (ut notum) eſt Ponderavit, expendit, dijudicavit, pro eo Prov. 24. 12 Vulg. habet Inſpector eſt, Chald. בצי Scrutatur vel explorat. Hic igitur reddas Quis ponderavit, expendit, exploravit vel perſpexit ſpiritum Domini ? Vel ſi verbo תכן attribuas ſignificationem numerandi, ſupputandi &c. לשון מנין וחשבון (ut Elias in Tisbi) certe qui in numerato habet, is optime novit.

Spiritum] 70 τὸν *i. e.* mentem.

Vir conſilium ejus] Juxta Hebr. potius Vir conſilii ejus, ut apud Syrum in Rom. 11. 34 habes בעל מלכא Dominus conſilii *i. e.* conſiliarius.

Scire facit] Hebræo הודיע reſpondet συμβιβάζων, non ſolum hic, ſed etiam Exod. 18. 16, Deut. 4. 9, & ſic συμβιβάζων uſurpatur pro הבין Iſa. 40. 14, pro השכיל Dan. 9. 22, deniq; pro הורה Exod. 4. 12, 15 Levit. 10. 11 Judic. 13. 8. Nam συμβιβασθέντες, διδαχθέντες; συμβίβασις, διδαχὴ; συμβιβάτω, διδαξάτω; συμβιβῶ, διδάσκω, ait Heſych. Ita Suidas, συμβιβῶ, διδάξω, νοῆσαι ποιήσω. Sic græca Scholia in Act. 9. 22 συμβιβάζων interpretantur μετ' ἐπιτάσεως διδάσκων.

Iſa. 11. 10. Ar. Mont.	Rom. 15. 12. *Ar. Mont.*
Erit radix Jeſſe, quæ ſtans in vexillum populorum, ad illam gentes quærent.	Erit radix Jeſſe, & exurgens regere gentes, in eum gentes ſperabunt.

Græci hic varios admiſerunt errores, inquit Bootius hoſtis ipſorum acerrimus, ſcil. 1 שרש ῥίζα, 2 עמד ἀνιστάμενος, 3 לנס עמים ἄρχειν ἐθνῶν, 4 דרש ἐλπίζειν transferentes. Vid. Animadverſ. lib. 1. c. 5. ſect. 4.

Ad primum quod attinet, ipſo Bootio fatente *major interpretum pars itidem* שרש *radicem tranſtulerunt, ſed omnes lapſi ſunt*, (ea eſt hominis modeſtia) *hic enim ſignificat ſurculum radice prognatum*, ſic ille. At non animadvertit bonus vir ῥίζαν non tantum Radicem (ut vox ſtricte ſumitur) ſed etiam ſtirpem ſignificare. Dixi ut vox ſtricte ſumitur, nam quod Latinum Radix latius acceptum interdum ſignificat Florem vel germen, ipſe ſtatim agnoſcit.

Error

Error ſecundus eſt, quod pro עמד *i. e.* ἱσάμενος ſtans ſcripſerunt ἀνασάμενος Exurgens. At Aquila & Symmachus itidem ſcripſerunt ἀνίσαλαι ut ipſe fatetur, & Chaldaice עמד eſt Surrexit, עמדה Surrectio, ut notum.

Ad tertium de עמים & ἔθνη dictum eſt ſupra in Mar. 11. 17. At נס (inquit Bootius) *nullo modo* ἄρχων *aut quicquam ſimile ſignificat.* Fatetur interim, quod נשיא eſt ἄρχων Princeps, & quod נשא interdum ſcribitur etiam נטא & נסה, fatetur itidem quod Kimchi ſignificationem verbi נסס facit eſſe *affinem & quodammodo germanam* τῆ נשא, & utriq; tribuit notionem Elationis ſeu exaltationis, fatetur deniq; quod Aben Ezra, Sal. Jarchi, S. Hieron. & recentiores fere omnes eandem ſignificationem attribuunt verbo נסס, quæ omnia mihi videntur non parvum momenti habere ut perſuadeant, quod נס olim habuit ſignificatum Principatus ſive imperandi. Vid. Bootii Animadverſ. lib. 2 cap 7. ſect. 1, 2, 3. At (inquit ille) *cum veteſtiſſimi interpretes Syrus ac Chaldæus & Græci quoq;, alioqui quibuſvis hallucinationibus ſatis opportuni nuſquam vel in nomine* נס, *vel in verbo inde facto, iſtam ſublimitatis atq; elevationis notionem agnoverint, nihil cauſæ videmus quin pronuntiemus, & Kimchium erraſſe, & cum eo omnes qui hanc expoſitionem ſequuntur.* Aſt illud de hallucinationibus parcius objiciendum fuit. Annon Græci hoc loco agnoſcunt notionem ſublimitatis & elevationis, cum לנס vertunt Regere? an negabit illum, qui regit, eſſe elevatum & in ſublimi conſtitutum? Annon Chaldæus נסה Hebr. exponit נשא *i. e.* eleva Pſal. 4. 6? Sed de his ſatis. Sunt qui dicunt 70 לנס (in vexillum) vertiſſe ἄρχειν, quia vexillum ſignum imperii.

Ad quartum breviter. Verbum דרש (ut docet Forerius) conſtructum cum præpoſitione אל, ut hoc loco, peculiari phraſi ſignificat Spe concepta conferre ſe ad aliquem pro conſilio & auxilio. Hoc autem Spe concepta conferre ſe ad aliquem 70 dixere ἐλπίζειν.

Iſa. 52. 15. Ar. Mont.	Rom. 15. 21. *Ar. Mont.*
Quod non narratum fuerat eis viderint, & quod non audierant intellexerint.	Quibus non annunciatum eſt de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent.

Quod, quod] אשר Hebr. eſt utriuſq; numeri, ut notum; 70

igitur cum S.Hieron.Vulg.Arab.&c. legunt in Plurali Quibus,qui.

Viderint, intellexerint] Verba in Hebræo ſunt Præteriti temporis, at ἐναλλαγὴ apud Hebræos crebræ ; recte igitur 70, Tremellius, & alii vertunt per Futurum.

Iſa. 29. 14. Ar. Mont.	1 Cor. 1. 19. *Ar. Mont.*
Peribit ſapientia ſapientium ejus, & intelligentia intelligentium ejus abſcondet ſe.	Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

Peribit] 70 Perdam, nempe voluerunt אבדה Hebr. eſſe idem quod אבידה Perdam Jer.46.8. Sic אבדך Perdam te Ezek.28,16, quod Elias Levita vult eſſe Futurum Hiphil, nempe idem quod אאבידך vel plenius אאבידך.

Abſcondet ſe] 70 *legentes* אסתר *ubi nos* תסתתר *vertunt* κρύφω, inquit Grotius ; pro quo Apoſtolus ἀθετήσω.

Hoſ. 13. 14. Ar. Mont.	1 Cor. 15. 55. *Ar. Mont.*
Ero peſtis tua mors , ero exciſio tua inferne.	Ubi tuus, mors, ſtimulus ? ubi tua, ſepulchrum, victoria?

Hic videtur eſſe non levis diſcrepantia inter Apoſtolum & 70. 1 Pro δίκη apud 70,eſt νῖκος 1 Cor.15. 2 Membra hujus commatis ſunt tranſpoſita, nam 70 ſic legunt Ubi eſt cauſa tua mors ? ubi eſt aculeus tuus inferne? Sed quod ad primum attinet, Codex Claromont., Tertullian. de reſurrectione carnis, Cyprian. de Teſtimon. ad Quirin. l.3.58, Hieron.in epiſt.adverſ. Joan. Hieroſol., Auguſt. in Johan. tract. 12. cont. Julian. lib. 2,de vera religione cap. 12, de moribus Eccleſ. cathol. cap. 30, Enchirid. cap. pen., ſerm.43 de verbis Dom.,ſerm.2,5,6 de verb.Apoſt.,Quæſt 70 inter 83, de perfectione juſtitiæ,&c., & Primaſius in Commentario, legunt non νῖκος ſed νεῖκος ſeu Contentio ; at νεῖκος vel Contentio idem eſt quod δίκη apud 70. Dices qui fit igitur ut in tot codicibus ſit νῖκος ? Reſpondeo, Fortaſſe mutando diphthongum in ſimplicem Jota pro νεῖκος irrepſit νῖκος. Vel forſan negligentior manus pro δίκη ſcripſit νίκη, & hoc poſtea factum νῖκος. Beza meminit

meminit cujuſdam græcæ editionis quæ habet νίκη, & idem de editione Baſileenſi monet Druſius. Ad ſecundum Juxta Vulg., Æthiop., codic. Claromont., exemplar Lincoln., March. Veleſ., Irenæum l. 3. c. 38, Euſeb. Demonſtr. l. 4, Hieron. epiſt. adv. Joan. Hieroſ., Auguſt. in Joh. tract. 12, de vera religione c. 12, ſerm. 43 de verb. Dom., ſerm. 2, 5 de verb. Apoſt., Quæſt. 70 inter 83, Primaſ. & illos codices quorum meminit doctiſſimus Præſul Anſelmus noſter (*ſi ſecundum alios codices legerimus Ubi eſt mors contentio tua? ubi eſt mors aculeus tuus?*) nulla eſt Metatheſis (qualis eſt in noſtris codicibus) ſed membra hujus commatis leguntur eodem ordine apud Apoſtolum, quo apud Hebr. & 70.

Ero] 70 Ubi, & ſic Aquila, Quinta editio, Syr. & Arab. Non deſunt qui dicant אוהי eſſe idem quod איה, teſte Aben Ezra. Et ſic Chaldæus S. Hieron. & Vulg. Hoſ 13. 10 אהי interpretantur Ubi. Sic Jannahius & Tanchumius apud Pocock., & Abraham Balmenſis apud Livelcium noſtrum.

Peſtis] דברי Hebr. 70 νῖκος vel δίκη *i. e.* actio, lis, cauſa, contentio, vel etiam intentio ut S. Cyprianus legit, juxta Eraſmum De teſtimon. ad Quirin. l. 3. 58. Sic Aquila & Quinta editio λόγοι, ποῦ λόγοι Ubi verba, quibus ut ἀντίδικος, contra nos contendis? Ea ſignificatione vocem דבר capias Pſal. 51, Ut juſtificeris in ſermone tuo, *i. e.* in cauſa tua. Sic Exod. 18. 16 דבר exponitur ἀντιλογία, & ἀντιλογία eſt idem quod νῖκος.

Exciſio] 70 & Syr. Aculeus. קטב Hebr. ut S. Hieron. docet ſignificat morſum, *viz.* iſtum morſum qui hominem repente perimit, & 70 ita accepere ut morſus fuerit poſitus pro remordente (vel inſtrumento quo ſerpens lethalis mordet) *i. e.* aculeo. Sic שוכה Arab. eſt Aculeus ſerpentis. קטב *dicitur quicquid pertundendo & perfodiendo repente penetrat impetu vehementiſſimo, ut cuſpis acuta ſolet*, ſunt verba Junii, qui vertit Ubi cuſpis exitialis tua?

Pſal. 116. 10. Ar. Mont.	2 Cor. 4. 13. *Ar. Mont.*
Credidi quia loquar.	Credidi ideo locutus ſum.

Quia] כי Hebr., quod aliquando ſonat Igitur, ideo, idcirco. Sic exponunt Gen. 22. 15, 16 Quia feciſti hanc rem, &c. כי igitur benedicendo benedicam. Sic 1 Sam. 2. 25. Non attenderunt ad vocem patris ſui, כי igitur voluit Jehovah eos occidere. Sic Jer. 4. 18

Via

Via tua & ſtudia tua fecerunt hæc tibi &c, idcirco amarum, idcirco pertigit uſq; ad cor tuum? Forſan etiam non incommode, ſic accipi poteſt Jer. 29. 16 (Vid. Verſ. Belgic., & Gallic.) & Hoſ. 9. 15. Deniq; in lingua Syriaca nihil frequentius, quam ut in interrogationibus בו ſignificet Ergo, ſi audias Buxtorf. jun. in Lexic. Chald. & Syr. Igitur S Hieron. Hebræa vertit Propter quod locutus ſum, quem ſequuntur alii. Vid. Verſ. Anglic.

Iſa. 52. 11. Ar. Mont.	2 Cor. 6. 17. *Ar. Mont.*
Purificate vos.	*Separamini.*

ברר Hebr. non tantum eſt Purificavit, ſed etiam Diſcrevit, ſeparavit, vid. Schindler. Item & ברה & ברך (Imperativus הברו poteſt eſſe ab utrovis) Elegit, ſelegit; & cum iis congruit ברא: Electio autem ſine diſcretione vel ſeparatione eſſe non poteſt. Itidem גבא Syriacum (אתגבו in Imper. Paſſiv.) eſt & Elegit, & Secrevit, ſeu ſequeſtravit. Recte igitur Hebr. הברו reddas vel cum 70 Separamini, vel cum Chaldæo אתבחרו Electi eſtote.

Deut. 27. 26. Ar. Mont.	Gal. 3. 10. *Ar. Mont.*
Maledictus qui non ſtatuerit verba legis iſtius ad faciendum ea.	Execrabilis omnis, qui non permāſerit in omnibus ſcriptis in libro legis ad faciendum ea.

Incertum habemus (inquit S. Hieron.) *an* 70 *addiderint Omnia & In omnibus, an in veteri Hebraico ita fuerit, & poſtea a Judæis deletum ſit. In hanc me autem ſuſpicionem illa res ſtimulat, quod verbum Omnia & In omnibus quaſi ſenſui ſuo neceſſarium ad probandum illud quod quicunq; ex operibus legis ſunt ſub maledicto ſunt, Apoſtolus vir Hebrææ peritiæ & in lege peritiſſimus nunquam protuliſſet, niſi in Hebræis voluminibus haberetur. Quam ob cauſam Samaritanorum Hebræa volumina relegens inveni* כל *quod interpretatur Omnia vel Omnibus ſcriptum eſſe, & cum* 70 *interpretibus concordare.* Hæc ille. Etiam Syrus habet כל Omnis.

Statuerit] 70 & Vulg. Permanſerit. An pro יקים legere יקום, ut apud Syrum eſt נקום? An potius יקים intranſitive hic

hic præter morem ſumendum putarunt? Sic enim nonnulli קומם intranſitive ſumunt Mic. 2. 8.

Iſa. 54. 1. Ar. Mont.	Gal. 4. 27. *Ar. Mont.*
Præconiza ſterilis non peperit, vocifera præconium & hinni non parturivit.	Lætare ſterilis, non pariens: erumpe & clama non parturiens.

Tria ſunt Synonyma in Hebræo 1 רנן Lætam vocem edere, lætari, cui reſpondet ἐυφράνθητι, 2 פצח cui reſpondet ῥῆξον, ῥῆξαι enim & Frangere & Clamorem edere ſignificat, & ſic פצח Diffringere & Clamare. 3 צהל quod tribuitur non ſolum equis hinnientibus, ſed etiam hominibus clamantibus & bobus mugientibus, adeoq; rectè vertitur βόησον. At, inquis, ſi ῥῆξαι reſpondet verbo פצח, cum ei adjungitur רנה Præconium, 70 videntur hoc omiſiſſe. Reſpondeo, Ut פצח abſq; ullâ additione interdum eſt idem quod פצח רנה, ita & ῥῆξαι abſq; additione aliquando eſt idem quod ῥῆξαι vel ἐκῥῆξαι φωνὴν, teſte Heſych. Idcirco 70 hic poſuere ῥῆξον, eodem ſenſu quo Theodot. ῥῆξον ἐυφροσύνην.

Peperit, parturivit] 70 Pariens, parturiens, nam ſi Hebræa aliis punctis legas ſunt Participia. Et certe vel in uno verbo חלה admittenda eſt duplex Enallage, *viz.* & perſonæ & generis, vel fateri oportet, quod aliis vocalibus legi debet.

Pſal. 4. 5. Ar. Mont.	Eph. 4. 26. *Ar. Mont.*
Contremiſcite & ne peccetis.	Iraſcimini & ne peccate.

Contremiſcite] Hebræum רגז eſt Commoveri non tantum pavore, ſed etiam ira, ut Gen. 45. 24 2 Reg. 19. 27, 28 Ezr. 4. 12 Prov. 29. 9 Iſa. 28. 21 37. 28, 29 Ezek. 16. 43. Imo in cæteris linguis puta Chald. Syr. & Arab. vix unquam habet ſignificatum Pavoris vel tremoris, ſed iræ, furoris, & excandeſcentiæ ſæpiſſime. Symmachus igitur vertit ὀργίσθητε, S. Hieron. Iraſcimini. Huic רגז affine eſt verbum רגש, quod itidem valet Fremere, tumultuari, (interdum, ſed rarius Contremiſcere) rectè igitur 70 Pſal. 2. 1

(quos ſequitur S. Lucas Act. 4. 25) למה רגשו vertunt ἵνα τί ἐφρύαξαν;

Pſal. 102. 26, 27. Ar. Mont.	Hebr. 1. 10, 11. *Ar. Mont.*
Antea terram fundaſti.	Per principia terram fundaſti.
27 *Sicut veſtimentum mutabis eos.*	11 Velut amictum implicabis eos.

Antea] 70 Per principia, & ſic S. Hieron. Chald. Vulg. Arab. Æthiop. A principio. Nec hoc alienum eſt ab Hebr. לפנים, nam לפנים & מראש ponuntur ut Synonyma Iſa. 41. 26.

Mutabis] 70 ἑλίξεις, quod Eraſmus olim ſuſpicatus eſt corruptum eſſe pro ἀλλάξεις. Sic Nov. 8. in Bibl. Polygl. & March. Veleſ. legunt ἀλλάξεις, Ambroſ. & Primaſius in Heb. 1. 11 Mutabis, & ſic S. Hieron. interpretans verſionem 70. *Ita etiam legitur in illa Vulgata Pſalmorum editione, & in nonnullis veteris interpretationis exemplaribus* Heb. 1. 11, inquit Beza. His addas Irenæum l. 4. c. 6, Tertullian. cont. Hermogen. c. 34, Auguſtin. & Arnob. in Pſalm., qui omnes legunt Mutabis. 70 igitur videntur ſcripſiſſe ἀλλάξεις, ſicuti ſtatim ſequitur apud ipſos καὶ ἀλλαγήσονται, & idem eſt utrobiq; verbum Hebræum. E contra Lud. Capellus cenſet genuinam lectionem eſſe ἑλίξεις, eoſq; *deceptos affinitate ſonii literarum* ח & ק *legiſſe* תקליפם (non תחליפם) קלף autem nomen interpretatur *pellem, corticem, arboris librum, ſeu membranam cui aliquid inſcribitur*, & verbum *excoriare, decorticare; at pellis* (inquit ille) *aut cortex, quum detrahitur, volvitur, & membranæ, quibus aliquid inſcriptum eſt, convolvi ſolent & complicari, & inde videtur eſſe illud* ἑλίξεις. At non opus eſt tanto conamine, חליף enim Arabice eſt Contortus & convolutus, unde חלפא Syriace Nodus, imo & Hebraice מחלפות Cincinni, *viz.* quia ſunt Convoluti. Non male igitur 70, ſi תחליפם reddiderint Convolves eos.

Pſal.

Pſal. 95. 8, 10, 11. Ar. Mont.	Hebr. 3. 8, 9, 10, 11. *Ar. Mont.*
Sicut Meribah, ſicut die Maſſah.	Sicut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis.
10 *Quadraginta annis faſtidio habui in generatione & dixi, Populus errantium in corde ipſi.*	9 Quadraginta annis. 10 Ideo infenſus fui generationi huic, & dixi, Semper errant corde.
11 *Quod juravi.*	11 Ut juravi.

Meribah, Maſſah] 70 hæc nomina pro Appellativis habuere, conſentientibus S. Hieron. & omnibus Verſionibus in Bibl. Polygl. & aliis.

Faſtidio habui] Ut Hebræum אקוט, ſic Græcum προσώχθισα tædii moleſtiæq; ſignificationem habet. Προσοχθίζων vid. Gen. 27. 46. Levit. 18. 25. Deut. 7. 26. Ezek. 36. 31. Eccleſiaſtic. 25. 3. 38. 4.

Populus] 70 Semper. An igitur manus imperita pro λαὸς, ἀεὶ ſcripſit? an 70 pro עם legere עד, ut aliqui volunt, vel לעלם, ut alii? An deniq; ut themata עמם & לעלם ſignificatione conveniunt, ita & עם olim idem fuit quod לעולם, *i. e.* Perpetuum? Sic in lingua Arabica עמה eſt Perſeverare in errore, *i. e.* ſemper errare.

Quod] אשר Hebr. hic varie vertitur, ut annotavit Lud. de Dieu in Pſal. 95, at Vulg. Syr. Arab. & Æthiop. cum 70 vertunt Ut. Ideo (διὸ) quod additur Hebr. 3. 10, deeſt in exemplar. quarto Stephani, & in vet. codice quem vidit Beza, & apud 70.

Jer. 31. 32. Ar. Mont.	Heb. 8. 9. *Ar. Moni.*
Ego dominatus ſum in eos.	Ego neglexi eos.

Pro בעלתי Hebr. 70 in aliquibus libris habent ἠμέλησα *i. e.* neglexi, in aliis iſtius compoſiti verbum ſimplex, idq; contrariæ ſignificationis ἐμέλησα *i. e.* curavi, nam ἐμέλησεν, ἐφρόντισεν, ἐπεσκέψατο ut Heſych. Itidem Hebræum בעל habet contrarias ſignificationes, viz. vel Amavit, Curavit ut Dominus viz. aut ſponſus uxorem, & ſic eſt idem quod ἐμέλησε; vel Faſtidivit, naufcavit, & ſic propius accedit ad ſignificationem verbi ἠμέλησεν. Apoſtolus iſtos libros ſe-

cutus est, in quibus scriptum fuit ἠμέλησα, quam interpretationem confirmat Pocockius noster authoritate Kimchii patris, Ebn Jannahii & R. Tanchum. Vid. ipsum Pocockium, necnon doct. Castellum in Lexic. Heptagl., item Clar. Pearsonum nostrum in Præfat. paræneticа Editioni 70 Cantabrigiensi præfixa.

Psal. 40. 7. Ar. Mont.	Heb. 10. 5. *Ar. Mont.*
Aures fodisti.	Corpus aptasti.

Aures] אזנים Hebr., 70 σῶμα. An igitur pro אזנים legere עצם, vel גויה, vel גרנה quod est corpus Chaldæis & Syris, aut aliquid tale? An dicendum cum Clar. Vossio, *cum* אזנים *multa habeat significata, accipitur quippe pro libra, armis, nutrimento, Zona, utiq; est verisimile & illud quoq; notasse, quod* 70 *posuere.* An deniq; dicendum 70 scripsisse ὠτία vel ὦτα, *quod postea factum est* σῶμα? *In uno codice & commentariis Græcorum est* ὠτία &c. *apud Eusebium* ὦτα, inquit Flamin. Nobil. Item duo Scholia apud eundem Flam. Nobil. habent ὠτία. Ita legere *in Psalmo Cyrillus inter Græcos, & Arnobius minor inter Latinos*, ut ait Grotius. Vid. & Hammondum nostrum in Psal. 40. Vulg. etiam legit Aures, Arabs posuit utrumq; & גסרא Corpus, & מסאמעי Aures meas.

Fodisti] כרית Hebr. *i.e.* Præparasti, & sic κατηρτίσω apud 70 Præparasti vel aptasti, vid. supra in Mat. 21. 16. כרה est *Apparare* 2 Reg. 6. 23. De hoc verbo Grotius, כרה *proprie significat Perfodere, interdum & Perficere*; si hoc verum esset, conveniret etiam cum altera significatione verbi κατηρτίσω, *viz.* Perfecisti.

Psal. 40. 8. Ar. Mont.	Heb. 10. 7. *Ar. Mont.*
In volumine libri.	In capite libri.

מגלת Hebr., 70 κεφαλίδι. Mihi semper maxime placuit illorum sententia, qui dicunt κεφαλίδα hic non retinere, significationem primitivi nominis κεφαλὴ, sed idem significare quod מגלה *i.e.* volumen. Κεφαλὶς βιβλίου, ὅπερ τινὲς εἴλημά φασιν, inquit Suidas. Sic Euthymius in Psalmo κεφαλίδα *interpretatur* εἰλητάριον, ut ait Vossius. Heinsius ex Eusebii catena in Isaiam hæc inter alia transcribit,

ſcribit, Παραπλήσιον τῷ προφήτῃ τόμον καινὸν, μέγαν, ἢ τεῦχος, ἢ διφθέρωμα, ἢ κεφαλίδα καὶ τοὺς λοιποὺς λαβεῖν; ubi τόμος, τεῦχος, διφθέρωμα & κεφαλὶς videntur poni ut Synonyma, & interpretantur Hebræum גליון Iſa. 8. 1 nomen ejuſdem originis & ſignificatus cum מגלה. Sic Zach. 5. 1 מגלה a Symmacho vertitur κεφαλὶς, ſicut ab Aquila & Theodot. διφθέρα, teſte S. Hieron. Apud hos authores κεφαλὶς nec caput, nec initium ſignificat, ſed volumen, & ſic apud 70; quod magis patebit inſpicienti Ezra 6. 2. Ezech. 2. 9. 3. 1, 2, in quibus locis vox κεφαλὶς itidem invenitur uſurpata ab iis pro Hebræo מגלה. Si quæras unde ſit quod volumen vocatum eſt κεφαλὶς, Grotius ait a rotunda capitis forma, unde & in ædificiis quæ rotunda ſunt κεφαλίδες dicuntur; exempla apud ipſum vide. Junius ſic dictum vult, quia convolutum & complicatum libri corpus quaſi opus capitatum eſt. Eſtius in hunc locum ſic ſcribit, κεφαλὶς *non ſolum ſignificat Caput ſeu capitulum, ſed etiam capitis tegmen quo nimirum caput obvolvitur. Hac ſignificatione legitur apud Ariſtot. Rhetoric. lib. ſecundo. Unde ulterius uſurpatur pro involucro quod Græce dicitur* ἕλιγμα. Fullerus noſter vocem κεφαλὶς deducit non a Græca dictione κεφαλὴ, ſed ab Hebræa כפל vel Syra כפל aut קפל, quæ denotant id quod compoſitum complicatum & convolutum eſt, vel per Metatheſin a קלף quod membranam ſignificat, Græci διφθέρας vocant. Vid. Miſcell. l. 2. c. 10. & Sixtin. Amamam Antibarb. lib. 3. Undecunq; ſit, certe κεφαλίδα eſſe volumen ex ſupradictis abunde liquet. Doct. Cunæus aliter ſtatuit de voce κεφαλὶς, *Nihil aliud* κεφαλίδες *ſunt* (inquit ille) *niſi ea quæ Judæi & præſertim Talmudici vocant* פרקים, *hoc eſt membra & partes librorum.* Alii ulterius progreſſi volunt voce κεφαλίδι ſignificari non quamlibet legis Paraſcham ſive ſectionem, ſed primam; adeo ut κεφαλὶς βιβλίου ſit *volumen*, בראשית, *quod Aquila ad verbum verterat* ἐν κεφαλαίῳ, *vel ut alii habent* ἐν κεφαλίδι, ita Voſſius. Sed, ut alia omittam, quomodo vocem מגלה ad hunc ſignificatum trahent, ego non video. Scio, nonnulli In volumine libri ſic exponunt quaſi dictum eſſet In quodam volumine libri, nam multa volumina unum tantum librum conficiebant, præſertim ſi is eſſet prolixior; ſicut apud nos unus liber multa capita complectitur; ſic illi. Et Beza magna fiducia aſſerit, 70. *accepiſſe* מגלה *in ſignificatione* גלגלת, *quia utrumq; eſt ejuſdem radicis.* Sed hæc ſuis authoribus relinquo.

Hab. 2. 3, 4. Ar. Mont.	Heb. 10. 37, 38. *Ar. Mont.*
Veniendo veniet.	Veniens veniet.
4 *Ecce elata eſt, non recta anima ejus in eo.*	38 Si ſubtraxerit ſe, anima mea non bene gaudet in eo.

Veniendo] 70 Veniens, בא mutatis punctis eſt Participium.

Ecce] הנה Hebr. 70 tranſtulere ἐὰν, quaſi fuiſſet הן *i. e.* ſi.

Elata eſt] עפל Hebr. *non tantum elatum eſſe, ſed etiam ſubducere ſe & occultare ſignificat*, ita Doct. Pearſon. noſter. Juxta Petitum eſt *Latere* ἐν τοῖς κρύφοις καὶ τοῖς σπηλαίοις, *tanquam* ἐν τοῖς ὀχυρώμασι. His adde Pocockium noſtrum, qui ex R. Tanchum docet עפל idem eſſe quod עלם (quod nonnulli hic ſubſtituerent pro עפל) *i. e.* Deficere, item Retrahere ſe, longe remotum eſſe, ſicuti in Gloſſario Hebræo-Arab. eſt Confuſum, conturbatum eſſe. Lud. de Dieu recurrit ad linguam Arabicam, ubi ſignificat proprie Mentem a re aliqua avertere, ſubducere & ſubtrahere, hinc negligere, *&c* quod probat ex Pſal. 28. 1, & ex Alcorano in Surat. Joſephi, uti ex Arabibus Doct. Pocockius noſter. Alii deniq; interpretantur Se in arcem vel munitionem ponere ſive ſubducere (vid. Kimchios fratres apud Pocock.) ut עפלה ſit anima timida Deo diffidens, & aliunde præſidium quærens. Jam audi Heſych. de Græco ὑποστελλόμεθα: ὑποτελλόμεθα, ὑποκρυπτόμεθα, φοβούμεθα, ita ille. Recte igitur עפל a 70 vertitur ὑποστείλεται Subducat vel retrahat ſe *i. e.* præ metu, & quaſi occultet ſe.

Non recta anima ejus] 70 οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου, pro quo Aquila apud Euſeb. Demonſtr. lib. 6 οὐκ εὐθεῖα ἡ ψυχή μου. At ſenſus idem eſt ſive dicas εὐδοκεῖ cum 70 ſive εὐθεῖα ut Aquila, & utrumq; apte reſpondet Hebræo ישרה; ישר enim ſignificat non tantum Rectum eſſe, ſed etiam Placere. Senſus eſt Anima mea non eſt recta erga eum, vel non placet ſibi in eo. Lud. Capellus ſuſpicatus eſt 70 accepiſſe vocem ישרה quaſi eſſet a radice Arabibus uſitata שרר vel סרר, & certe Arabs Hab. 2. 4 habet תסר ab eodem themate סרר Delectatus eſt, bene voluit, *&c*. Quia 70 & Aquila legunt ψυχή μου, non αὐτῷ, ſuſpicio eſt olim ſcriptum fuiſſe non נפשו ſed נפשי. Sic Deut. 5. 10 non ſolum 70, ſed etiam Chaldæus & omnes reliqui interpretes in Bibl. Polygl. videntur legiſſe non מצותו ſed מצותי, & Pſal. 59. 10 omnes (præter Syrum

Syrum & Ar. Mont.) non עזו sed עזי, & Pſal. 59. 11 ipſi Maſorethæ pro חסדו legunt חסדי. Igitur vel olim ſcriptum fuit מצותי (ut Exod. 20. 6) & עזו (ut Pſal. 59. ult.) & חסדו, vel Chaldæus & cæteri interpretes, & ipſi Maſorethæ iſtam licentiam ſibi aſſumunt, ut interpretentur quaſi ſic ſcriptum fuiſſet. Quid eſt ergo quod ſolis 70 ſenibus hanc libertatem indulgere nolumus? Solum addo, quod idem valet ſive dicas Anima ejus non eſt recta in eo (ſupple Coram me) ſive Anima mea non placet ſibi in eo.

Gen. 5. 24. Ar. Mont.	Heb. 11. 5. *Ar. Mont.*
Et ambulavit Chanoch cum Deo, & non ipſe, quia tulit eum Deus.	Teſtimonium habuit beneplacuiſſe Deo — & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus.

Ambulavit] יתהלך Hebr. ſed 70 Placuit, uti & Syrus Geneſeos interpres. Idem verbum ſimiliter tranſtulerunt Pſal. 56. 14 & 116. 9, conſentientibus Syr. Vulg. Arab. & Æthiop. An igitur הלך olim habuit ſignificationem Placendi? Certe הלכה eſt Placitum, Decretum directum, conſtitutio, משפט ודת, ut Elias in Tisbi. Sic להתהלך vertas Ut faciam Placitum: ſic enim Arabs verbatim לאעמל ברצי Pſal. 56. 14. Adde Pſal. 26. 3. 35. 14 ubi etiam juxta Vulg. & 70 eſt Placui pro התהלכתי.

Non ipſe] Aliquid ſupplendum eſſe nemo eſt qui negat, *viz.* Fuit, vel Extitit, vel Comparuit, vel deniq; Repertus eſt ut 70.

Tulit] לקח Hebr. etiam valet Aſſumpſit, abſtulit, ſuſtulit, non male igitur 70 reddunt μετέθηκεν Tranſtulit.

Gen. 47. 31. Ar. Mont.	Heb. 11. 21. *Ar. Mont.*
Incurvavit ſe ſuper caput lecti.	Adoravit ſuper ſummitatem virgæ ſuæ.

De variis lectionibus hujus loci conſule S. Auguſt. Quæſt. 162. in Geneſ.

Caput] 70 Summitatem, ראש ſignificat utrumq;.

Lecti] 70 & Syrus Virgæ. מטה Hebr. & lectum & baculum ſignificat.

ſignificat. Suſpicatur autem Patric. Junius 70 non ſcripſiſſe ἐλέβη, ſed κεφάλαιον.

Sunt qui dicant Pronomen αὐτῷ, quod addi videatur a 70, innui per Præfixum ה in המטה.

Prov. 3. 12. Ar. Mont.	Heb. 12. 6. *Ar. Mont.*
Veluti pater filium volet.	Flagellat omnem filium quem recepit.

Veluti pater] Hebræum כאב 70 videntur accepiſſe pro Verbo, quod in Kal ſignificat Doluit, in Pihel Dolore afficit, & ita hic reddunt μαστιγοῖ Flagellat, affligit, vel afficit dolore.

Volet] רצה Hebr. eſt Acceptavit, recte igitur 70 παραδέχεται. Recte etiam addunt ὃν Quem: Ellipſis Pronominis אשר eſt frequens Hebræis.

Hag. 2. 7. Ar. Mont.	Heb. 12. 26. *Ar. Mont.*
Adhuc unum puſillum ipſum.	Adhuc ſemel.

Græci pro אחת מעט *videntur legiſſe* אחת מעת *Semel poſthac*, ita Grotius. Lud. de Dieu aliter, אחת מעט vertens Unam vicem pauxilluli temporis; vult enim אחת includere ſubſtantivum Vicem, & מעט ſubſtantivum Tempus, idq; non hic tantum, ſed & alibi paſſim. Hactenus ille. Certe 70 interpretati ſunt quaſi ſcriptum fuiſſet אחת פעם היא Hac una vice. מעט tranſpoſitione literarum & mutatione ט in פ erit פעם. Audacior viderer, ſi dicerem eos ſic legiſſe, ſed Grammatica favet (nam אחת & היא melius concordant cum פעם, quam cum מעט) & אחת פעם habes Joſ. 6. 3 & Iſa. 66. 8, ubi 70 reddunt εἰς ἅπαξ.

Hoſ. 14. 3. Ar. Mont.	Heb. 13. 15. *Ar. Mont.*
Vitulos labiorum.	Fructum labiorum.

70 falſi ſunt ſimilitudine dictionum, inquit S. Hieron. Juxta alios

alios mos abbreviandi פרי pro פרים eos decepit. Alii volunt ultimam literam vocis פרים pertinere ad dictionem ſequentem, & pro פרים שפתינו ſcribunt פרי משפתינו Fructum (*viz.* laudis) a labiis noſtris. Conjecturam Doct. Pocockii noſtri de voce καρπὸς, quod idem hic valere poſſit ac κάρπωμα & κάρπωσις, apud ipſum vide.

Prov. 3. 34. Ar. Mont.	Jac. 4. 6. 1 Pet. 5. 5. *Ar. Mont.*
Si illuſores ipſe illudet, & manſuetis dabit gratiam.	Deus ſuperbis reſiſtet, humilibus autem dat gratiam.

Nihil eſt in Hebræo quod reſpondeat voci Κύριος apud 70, pro qua Apoſtoli habent Θεὸς: e contra אם Hebr. Græci omiſiſſe videntur. An igitur pro אם legerunt אל? an pro והוה הוא? an viſum eſt ipſis repetere Κύριος ex verſibus præcedentibus?

Illuſores] לצים Hebr., 70 Superbis. Sic Doct. Pagninus in Epitome Theſauri תחלואצים *Superbiæ Iſa.* 28. 22, לצון *Superbia Prov.* 29. 8, לצים *Superbi Hoſ.* 7. 5, & ſic de לצים *Pſal.* 1. 1. *Hoc nomine* (inquit ille) *poſſunt vocari Superbi* &c. Magnam eſſe affinitatem inter Illuſores & Superbos ſane nemo diffitebitur; idcirco לץ cum זד & יהיר (*i. e.* Superbo & elato) conjunctum reperis Prov. 21. 24, ubi legis Superbi & elati (לץ שמו) nomen eſt לץ.

Illudet] יליץ Hebr., a לוץ quod ſignificat etiam Obloqui & dirigere argumentationes, quod aliquo modo convenit cum ἀντιλέγειν apud 70; quidni enim exponere poſſis ἀντιλέγειν Ordinat ſermones vel dirigit argumentationes contra aliquem? Deinde ἀντιλέγειν etiam ſignificat Ulciſci, & ſic Par retribuere, ἀντιλέγομαι ἢ φόνον Ulciſcor cædem: At quum Deus cum ſuperbis quaſi ſuperbum reddit ſe יליץ לצים (ut Pſal. 18. 27 dicitur Cum perverſo perverſum reddes te) iis par retribuit.

Manſuetis] 70 Humilibus, & ſic in textu Hebr. eſt ענים.

Isa. 28. 16. Ar. Mont.	1 Pet. 2. 6. Rom. 9. 33. 10, 11. *Ar. Mont.*
Ego fundator in Sion lapidis, lapidis arcis, anguli, pretii—— Credens non festinabit.	Pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, Credens in eo non pudefiet.

Arcis] בחן Hebr. pro quo Grotius vult 70 legisse בחור, & ita reddidisse ἐκλεκτὸν. At forsan, ut בחר valet & Eligere & Probare, ita בחן olim significabat & Probare & Eligere.

Anguli] Hic Apostolus invertit ordinem verborum textus Hebræi, & itidem Versionis 70, ubi ἐκλεκτὸν præcedit ἀκρογωνιαῖον.

Festinabit] חוש & חושׁ (ut Pocockius noster docuit) Arabice tria significant 1 Festinare, 2 Timere, 3 Pudore suffundi. Harum significationum primam præferunt recentiores, secundam Syrus, tertiam 70. Addo quod חשה etiam Hebraice est Silere, mutum esse. In eo (ἐπ' αὐτῷ) deest & in textu Hebr. & in Versione 70.

Prov. 11. 31. Ar. Mont.	1 Pet. 4. 18. *Ar. Mont.*
En justo in terra reddetur; etiam quia impio & peccatori.	Si justus vix servatur; impius & peccator ubi parebit?

En] הן Hebr. quod etiam est Si, ut notum.

In terra] 70 Vix, & sic Syrus למחסן Cum difficultate vel vi, & Arabs באלנהד Ægre, cum certamine & oppugnatione. Sed quomodo his convenit cum Hebræo בארץ? Hic nodus vindice dignus, nec ejus solutionem quisquam (quod sciam) hactenus tentavit. 1 *Quidam* ארץ a רצץ *Trivit, ut Terra a terendo, deductum volunt*, inquit Doct. Castellus. Jam si בארץ juxta significationem istius radicis interpreteris, valere potest Cum contritione vel confractione, vel cum certamine & oppugnatione (ut nuper expositimus Arabicum באלנהד רצץ) enim usurpatur de contentione fratrum in utero Gen 25. 22. 2 ארץ in lingua Arabica sonat Depressus est, & sic vertas Cum depressione (puta ab adversis) vel cum difficultate. 3 ברץ in eadem lingua est Parum dedit vel acquisivit, tenui vixit; hoc autem aliquo modo affine

est

eſt ſignificationi adverbii μόλις, *i. e.* Ægre, vix. Sed hæc nimis detorta & longiuſcule petita videri poſſunt.

Reddetur] ישלם Hebr., 70 σώζηται; nam סלם Arab. eſt Salvus, incolumis fuit, evaſit, & שלם Hebr. Incolumis, item שלום Pax, incolumitas &c.

Etiam quia] כי אף Hebr. Forſan nimis coactum videretur, ſi dicerem 70 hic accepiſſe אף pro Subſtantivo; ſic כי אף Facies ubi erit, *i. e.* ubi conſpicietur, ὅπου φανεῖται. Sed de his quære. Multo facilior hic eſt conciliatio quoad ſenſum quam quoad verba.

Pſal. 2. 9. Ar. Mont.	Apoc. 2. 27, 12. 5, 19. 15. *Ar. Mont.*
Conteres eas in virga ferrea.	Paſces eas in virga ferrea.

Conteres] תרעם Hebr. vel ſit a רעה Pavit, vel a רעע aut רוע Confregit. Prius maluere 70 vertentes ποιμανεῖς. Nec aliter Syrus, Arabs & Æthiop. utentes eodem verbo רעא vel רעי. Ita etiam S. Hieron. Hebræa interpretans Paſces, ut Vulg. & recentiores nonnulli Reges. Nam ut ποιμαίνειν Græcum, ſic רעה Hebræum non ſolum Paſcendi ſed etiam Regendi ſignificationem habet. Ad ποιμαίνειν quod attinet, Ποιμάναρ, ποιμὴν ἢ βασιλεύς. Ποιμένα λαῶν, βασιλέα τῶν ὄχλων. Ποιμὴν, βασιλεὺς, inquit Heſychius. Sic Mich. 5. 2, cum 70 להיות מושל reddunt τῷ εἶναι εἰς ἄρχοντα (vel juxta MS. Alexand. ἡγούμενον, τῷ εἶναι εἰς ἄρχοντα) Evangeliſta pro τῷ εἶναι εἰς ἄρχοντα legit ὅστις ποιμανεῖ Mat. 2. 6. Item Zach. 13. 7 על הצעירים 70 juxta MS. Alexand. vertunt ἐπὶ τοὺς ποιμένας, quam interpretationem ſecutus eſt Arabs; ubi Syrus interpretatur צעירים non Parvulos (ut alii) ſed עלאנא *i. e* Superiores, ut Chaldæus Jer. 48. 4 שלטונין Dominatores vel Principes; quam ſignificationem dictionis צעירים Doct. Pocockius noſter confirmat etiam authoritate Gloſſarii Hebræo-Arabici, R. Tanchum & Ebn Jannahii. Deniq; S. Hilarius enarrans vim verbi ποιμανεῖς inquit, ποιμανεῖς *i. e Paſtoraliter reges*, & ſic optime exponas idem verbum Act. 20. 28 & 1 Pet. 5. 2. Hebræum רעה regibus tribuitur tum 2 Sam. 5. 2, ubi cum dictum eſt Tu Paſces populum meum Iſrael, ſtatim ſequitur Tu eris Dux (מלכא Rex Chald.) ſuper Iſrael, tum 2 Sam. 7. 7 Pſal. 78. 71 Ezech. 34. 23 & Mich. 5. de מושל ſeu Dominatore iſto v. 2 dicitur ורעה Et paſcet v. 4. Ideo autem eidem verbo hæ duæ

competunt significationes; quia ποιμαίνειν ἀγαθὸν ἔργον καὶ νομεὺς ἀγαθὸς ὁ βασιλεὺς ἀγαθός ut loquitur Xenophon. Tantum addo quod ποιμαίνειν aliquando σκληρότερον ἐπιτασίαν ὑποφαίνει ut Thecophylacti verbis utar, sive istud regimen, quod in malum tendat eorum qui reguntur, Apparet ex Mich. 5. 5, 6. ubi de septem Pastoribus & octo Principibus viris dicitur ורעו Et pascent terram Assur in gladio, ut hic dicitur Pasces in virga ferrea. Acyrologiam sed elegantissimam, quam hic agnoscit Is. Casaubonus, apud ipsum vide. Exercit. 16 ad Annal. Eccles. c. 133.

Sit illa vera interpretatio, quam Apostoli probaverunt. S. Hieron. epist. ad Damasum Papam in 4 Evangel.

FINIS.

ERRATA sic corrigenda.

PAg. 1. l. 17. in Col. 2. pro *eos*, lege *vos*: P. 3. lin. 29. pro תעבדי leg. תעבדו: P. 10. lin. 9. pro *c.* 1. *v.* 3. leg. *c.* 1. *v.* 2. P. 11. l. 19. pro *qere*, leg. *legere*, & l. 20. pro *bor*, leg. *thor*: P. 12. l. 6 pro *nomine*, leg. *nomat*: & l. 21. pro *terribilem*, leg. *illustren*, & l. 22. pro תמריות leg. תמרות: Pag. 14. l. 27. pro *concilium*, leg. *consilium*: P. 17. l. 14. pro *acceperunt* אורע leg. *acceperunt* אוער: P. 19. l. 6. pro תחוחנלון leg. תחוחנלין: & l. 11. pro *obstrupescere*, leg. *obstupescere*: P. 20. l. 29. post *in Chaldæo*, adde *redditur*: P. 23. l. 22. pro *Fererius*, leg. *Forerius*: P. 28. l. 9. pro *concilium concilii*, leg. ~~*consilium*~~ *consilii*: P. 29. l. 13. pro *parvum*, leg. *parum*: P. 33. l. 32. pro *Tremere*, leg. *Fremere*: P. 37. l. 2. pro ϑῆμαι, leg. ϑῆμϑ: P. 39. l. 3. pro אשורי leg. משורי: & l. 19. pro *dirctum*, leg. *directum*.

1 A speech made by an English Colonel to his regiment before their late transportation for Flanders

2 A Catalogue of the rarities in the Anatomy scole at Lyden 1695

3 Mr Browns Concio ad Clerum in the University of Cambridge 1688.

4 The reason of church governement urged against Prelaty by Mr John Milton 1641

5 The life of St Mary Magdalene of Pazzi a Carmelite Nun englished 1687

6 A discourse about discerning and trying the spirits whether they bee of God.

7 Hymenaeus Cantabrigiensis on Prince Georges marrying Princess Ann 1683

8 A Pindaric Ode on the death of H. James 2d 1708

9 A fourth collection of Papers relating to the present juncture of Affairs in England 1688

10 A dissertation concerning the four-last Kings of Judah 1689

11 A discourse concerning Ireland and the different interest thereof. 1697.

12 Dr Wallis defence of the Royal society 1678

13 Mr Secretary Craigs letter to the Marquis Monteleon the Spanish Ambassadour 1718

14 Cardenal Alberoni's answer to Marquis Monteleon on Secretary Craigs letter 1718

15 Conjectanea in Isa: ix et parallela quodam veteris et novi Testamenti by Mr Milner 1673